A vel eo amplius perierunt. Tertiò, cùm in media æstate soleat & debeat omnis terra virere, tota terra ejus tunc temporis contra solitum & debitum cursum exaruit. Quartò, cùm semina frugum deberent in herbam processisse, in vermes conversa sunt. Quintò nobiliores terræ suæ mortalitate percussi sunt. Et quamvis tot & tantis flagellasset Dominus terram suam plagis, noluit tamen pœnitere, sed induratum est cor ejus, adeò quòd ipse juravit, quòd omnes obsides Regis Angliæ, quos ipse habebat, capitalem subirent sententiam, nisi in proximo perficerentur ei à Rege Angliæ omnes conventiones, quas cum illo fecerat. Unde factum est, quòd Balduinus de Betun, qui unus erat ex illis, qui dati fuerant Duci Austriæ pro redemptione Regis Angliæ obsides, ex communi obsidum consilio missus est ad Regem Angliæ ad indicandum ei Ducis propositum. Qui cum venisset, misertus illorum Rex, tradidit ei Rex sororem Arthuri Ducis Britanniæ, & filiam Imperatoris Cypri ad ducendum eas usque ad Ducem Austriæ, sororem scilicet Arthuri ad maritandum filio Ducis Austriæ, & filiam Imperatoris de Cypro tradendam in manus B Ducis Austriæ quietam. *Rogerius in Annalibus Angliæ VVilelm. Neubrigensis lib.5. c.6. Baron. tom.12. ann.1194. num.3.*

DEFUNCTORUM EXCOMMUNICATIO, ET ABSOLUTIO.

Cum mortui ad Ecclesiam in terris visibilem, cujus caput est Romanus Pontifex, non pertineant, excommunicari etiam nequeunt; ut tenet communis Theologorum & Canonistarum Schola, contra Panormitanum, *ad Capit. si quis, de hæreticis, 5. Decret.*

Et quamvis aliis locis, nominatim *in cap. à nobis 2. de sent. Excomm.* & alibi, Ecclesia legatur mortuos ligasse atque solvisse, tamen aliud nihil per hoc significatur, quàm quòd Ecclesia declararet, quo in statu decesserint, & quomodo erga illos se gerere debeant fideles; ut notavit *Covarruv. ad cap. Alma mat. §.11.*

Et hoc sensu Josias Rex ossa pseudoprophetarum, & eorum, qui vitulis immolarant, post mortem effodit, atque combussit; ac inde laudatur 1. *Reg.23.4. Reg.23.*

C

EXEMPLA HISTORICA.

Quamvis vita functi propriè excommunicari non possint, nec absolvi, quòd non subsint jurisdictioni Ecclesiæ: quia tamen quoad corpus sunt in visceribus terræ aut super terram, Ecclesia ad terrorem quosdam excommunicat vel absolvit. *Cap. à nobis, 1. de sentent. excomm.* Ejusmodi quantumcunque pœniteant, ut ait Joan. Vignerius, & moriantur in gratia non possunt ad cœlum volare, nec visione beatifica frui, donec fuerint absoluti; & hoc expresè dixit Christus: Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, hoc est paradiso. Ideò laudabilis est consuetudo in aliquibus diœcesibus, in quibus ad instantiam procuratoris animarum in die cinerum singulis annis absoluntur defuncti excommunicati, ut participent suffragiis Ecclesiæ. Hinc est, quòd nostra ætate contigit in diœcesi S. Pontii de Thomeris, de quodam Clerico excommunicato ab Episcopo Ruthenensi de Rhodex, qui post biennium revelavit socio suo, ut exhumaretur è loco sacro, donec habita absolutione iterùm sepeliretur in loco sacro: coram toto populo audita est vox clara & per- D cepibilis ab omnibus qui aderant, gratis agentias & dicentis, nunc cœlum illi patere; ut ex Actis publicis ipsius diœcesis Ruthenensis patet. *Ioannes Vignerius de Sacramento Ordinis Versu 26.*

Quidam solitariæ vitæ sectator à Gregorio Papa excommunicatus, ut qui contra voluntatem præsidis, & præscriptas monasterio leges à Gregorio, nonnihil deliquisset, paucis diebus interjectis, vitam cum morte commutavit. Ea re nuntiata, magnopere Gregorius indoluit, Fratrem illum è vita subitò magrasse, sacris adhuc vinculis constrictum. Itaque scriptam in charta precationem, qua mortuum vinculis ipsis eximeret, ministro cuidam cum hisce verbis tradidit: Vade ad sepulchrum fratris illius, & precationem hanc perlege. Quod ubi factum fuisset, monasterii Præses perquietantem Fratrem hunc conspicit: mox cum compellans: Tua causa mœsti sumus, ò Frater, ait, quòd vinculis sacris ligatus obieris: Quamobrem dic, obsecro, nobis, quonam in statu & conditione sis. Tum ille respondens: Revera, inquit, ò pater, ad hesternum usque diem carcere clausus fui: Verùm hodie solutus ac liber factus sum. Hoc modo cunctis innotuit eadem hora, qua Diaconus precationem illam supra sepulchrum legerat, nova & admirabili ratione fratrem istum à sacro vinculo fuisse liberatum. De hoc quoque satis existimari potest, quanta vis sit ejus vinculi, quo mortales à sacerdotibus ligantur. *Michael Glycas 4. parte Annalium.* E

Afferamus & illud ab eodem sancto Gregorio scriptum in vita sancti Benedicti. Quædam Fœminæ, ut ajunt, moniales, nimis effreni lingua religiosum quendam virum sæpiùs vellicabant. Quocirca Benedictus hæc de illis audiens, eis protinùs mandavit, dicens: Corrigite linguam vestram, alioquin excommunico vos. Illę nihil meliores factæ, intra paucos dies defunctæ sunt, atque in ædibus sacris sepultæ. Cùmque in iisdem Missarum solemnia, inquit idem, celebrarentur, atque ex more Diaconus clamaret, Si quis non communicat, det locum; nutrix earum, quæ pro eis oblationem offerre consueverat, eas de sepulchris suis progredi, & exire videbat: quod dum sæpiùs cerneret, quia ad vocem Diaconi clamantis exibant foras, atque intra Ecclesiam permanere non poterant, ad memoriam reduxit F quæ vir Dei adhuc illis viventibus mandavit: Eas quippè se communione privare dixerat, nisi mores suos & verba corrigerent. Tunc servo Dei cum gravi mœrore indicatum est; qui manu sua protinùs oblationem dedit, dicens: Ite, & ulteriùs excommunicatæ non erunt: quæ immolatio dum fuisset pro eis immolata, & à Diacono juxta morem clamatum, ut non communicantes ab Ecclesia exirent, illæ exire ab Ecclesia ulteriùs visæ non sunt. *D. Gregor. lib.2. Dialog. cap.23.*

Huc etiam facit quod legitur de aliis post mortem à S. Gothardo Hildesnaimensi Episcopo absolutis. Hic Pontifex contumaces quosdam & perduelles habebat inter subjectos, quos sæpè admonitos, tandem anathemate ictos, sacrificii tempore templo excedere jussit: qui tamen contempto Præsulis sui imperio restitabant, cum ecce tibi ex dudum sepultis, quos anathematis vincula adhuc retinebant, de tumbis surgunt, templumque egrediuntur; quos pudore suffusi rebelles quoque vivi sequuntur. Gothardus acri adhortatione ad contumaces, quibus ipsos mortuos obsequentiores haberet, adhibita, defunctos G censura solvit, qui cervicibus Pontifici suo inclinatis, ad suum quisque tumulum rediere. *Matth. Raderus in viridario Sanctor.*

Anno Domini millesimo quingentesimo nono, Albuquercio Indiæ Prorege, classe ejus intra fauces Erithreas constituta vel ex intemperie cœli, vel ex insalubrium ciborum succo attrox morbus navalem turbam invasit. Vulgò inter lusum vel quotidiana ministeria repentè expirabant. In iis Miles unus in mare projectus, ingentem terrorem omnibus attulit: noctu quippè infra sentinam pulsus frequentes exaudiri cœpti; quem ad strepitum cum arrepta scala vigiles descendissent, implexum carinæ sub ipso gubernaculo defuncti militis corpus offendunt. Scilicet cunctis pilius inhorruit. Ubi ex pavore collegere sese, res ad navarchum delata: nec dubium fuit, quin cadaver translatum in littus humo contegerent: quo facto, postridie super ipsum sepulchrum rursus inhumatus apparuit. Ea re attoniti cuncti, cùm apud se causam exequirerent, Franciscus denique, incertum ex qua familia monachus, qui concionatoris munere fungebatur, sagaci conjectura suspicatus est, hominem aliquo interdicti vel H anathematis vinculo constrictum è vita excessisse: itaque in terram egressus, sanctissimi viri Benedicti Abbatis exemplo è Pontificia formula conceptis verbis animam demortui ritè expiavit, eique veniam à Deo precatus est. Mirum dictu! ab eo mysterio redditur mortuo pax, & vaga ossa tandem in suo tumulo quievere. *Petr. Masseus Histor. Indicar. libro quinto, post medium.*

EXCOMMUNICARE AD QUEM SPECTET?

Potestas excommunicandi pertinet ad clavem Jurisdictionis, non Ordinis; iisque propriè convenit, qui in foro exteriori jurisdictionem habent, etiamsi Ordinis non habeant potestatem.

Itaque quoad omnem suam plenitudinem, habet hanc potestatem in omnia Ecclesiæ membra Pontifex jure divino, tanquam Ecclesiæ caput.

Conci-

A Concilium generale eadem habet, præterquam quod in Pontificem quoad sua Concilium est; non habeat.

Concilio Provinciali eadem etiam competit in Provinciam.

Cuilibet Episcopo, in eos quorum est Judex ordinarius.

Deinde Prælatis Ecclesiasticis de consuetudine eadem est facultas, dummodò exerceant aliquam Jurisdictionem in foro exteriori.

Fœmina, vel Laicus: hujus potestatis sunt incapaces: ad minùs enim requirunt Canonistæ, clericatum in excommunicante.

Olim Parochi in quibusdam casibus, furto videlicet & rapina, excommunicabant: sed ea consuetudo, ut advertunt Soto & de Graffiis, in dissuetudinem abiit, ut modo non habeant Jurisdictionem præterquam in foro pœnitentiali.

Plerique tenent Laicum ex commissione Papæ, posse excommunicare.

ABSOLUTIO AB EXCOMMUNICATIONE.

Excommunicatio per solam absolutionem aufertur, de ordi- B nario jure loquendo. Ab excommunicatione ab homine lata, absolvit qui eam tulit, aut illius Superior, & qui illam potest reservare. Inferior verò nunquam, nisi in vim potestatis à superiore sibi factæ, ab excommunicatione superioris absolvere potest.

Ab excommunicatione Juris non reservata, proprius Sacerdos, aut alius Confessarius, absolvit.

Ab excommunicatione minori, quæ est à Jure, absolvere non potest, nisi qui à peccatis mortalibus absolvit. Nisi habeat beneficium Curatum, etiam Sacerdos non foret. Ita *Suares disput. XXIV. de Excom. min.*

Forma Absolutionis alia non requiritur, quàm quæ mentem absolventis, & effectum absolutionis insinuet. Solet à Doctoribus hæc assignari. Absolvo te à vinculo majoris excommunicationis, ob talem causam: & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium, in nomine Patris, &c.

Formæ accidentales, quas solemnitates dicimus, hæc observari solent. Primo, ut ab excommunicato postuletur Juramentum parendi de cætero mandantis Ecclesiæ. Quod in magnis crimi- C nis locum habere suggerit *Cajet. in summa.* Et quando tale est delictum, quod satisfactionem prærequirat.

Secunda Cœremonia est, ut Sacerdos priusquam absolvat, Psalmum aliquem pœnitentiæ recitet super absolvendum.

Atque in solemni Absolutione requirunt Doct. ut absolvens sit veste aliqua sacra indutus, saltem superpeliceo & stola. Pœtens verò ut sit genuflexus, ac scapulis nudatis, dumque Psalmus legitur, flagello percutiatur. Sed id nullo jure cautum dicunt.

Tertiò subjicitur Psalmo, oratio Dominica, cum ver. Salvum fac servum & oratione, Deus qui proprium est. Quæ tamen omnia non sunt necessaria ad substantiam absolutionis, neque adhibenda, dum absolvens non est sacerdos, absolvendus est propter occultum peccatum excommunicatus, aut mulier. Videantur Canonistæ.

EXEMPLA HISTORICA.

Solemnis fuit absolutio, quam Henricus IV. Galliarum Rex nuper à Clemente VIII. Rom. Pont. postquam crebris legationibus eam postulasset, impetravit an. 1595. mense Augusto, missio in eum finem ad urbem Davide Petronio, Ebroicensium Episcopo, illustrium virorum comitatu agglomerato: postquam D Nivernensium Dux inde reversus, mentem Pontificis placatiorem nuntiasset. Maxima omnium acclamatione excepta legatio fuit, totaque Roma in publicam lætitiam effusa est eo præsertim die, quo Rex, qui hactenùs in excommunicatione obsorduerat, ab illius vinculo solutus, & Ecclesiæ Sacramentis ac communioni restitutus fuit, & gratiam Apostolicam à clementissimo Clemente, unà cum titulo Christianissimi Regis, impetravit. Accidit id autem mense August. die 15. quando passim pegmata arcusque triumphales excitari, ac plurimi versus lætitiæ indices in vulgus spargi: è quibus unus hic erat

Quem tota armatum mirata est Gallia Regem,
Mirata est etiam Roma beata Pium.
Magnum opus est armis stravisse tot agmina: majus
Pontificis pedibus succubuisse sacris.

Memoriæ tam solemnis absolutionis, Obelicus marmoreus jussu Pontificis erectus cum magnifica inscriptione fuit. Nos illius meminimus supra, *sub Loco de Columnis.*

Tabulas Absolutionis Lutetiam detulit Elbeveus Eques, Regem ad Feram in castris obsidionem protrahente. Qui eo intellecto, ignes excitari, totaque Gallia genialia festa celebrari imperavit. Anno deinde 97. amplissimam Legationem ad *L. B. Theat. vit. Human. Tom. III.*

Apostolicam Sedem adornavit, eique profunda submissione, E suiipsius, Regnique nomine, obedientiam debitam præstitit. *Laur. Beyerlinch in opere suo Cronograph. ad annum 1595. & 1597. sub Italia & Gallia.*

* Excubiæ.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

Excubiæ Græcè νυκτοφυλακία, Vigiliæ sunt extracubantium. Quamvis vigiliæ propriè sint nocturnæ, & excubiæ etiam diurnæ appellantur. Reperitur etiam Excubitus apud Auctores, & Excubitum.

NECESSITAS, ET OFFICIA EXCUBITORUM.

Excubiæ tum pace, cum bello sunt necessariæ, ut nihil incommodi Respublica patiatur aut dedecoris. Unde ad illud munus non quivis adsciscatur, sed delectus instituendus; ut observavit *Socrates apud Platonem.* Certè quò meliores cives ac lautioris fortunæ, eò ad custodiam urbium aptiores. Quod secùs etiam in benè constitutis civitatibus cernimus observari, in quibus operarii, bajuli, & inopes id muneris præstant, à quo omnium fortuna & salus dependet.

Excubitorum partes sunt, in omnem partem solicitos esse, & ad minimam rumoris auram, præsertim de nocte, circumspicere, omnia suspecta habere, ubique insidias vereri, publicæ tranquillitati invigilare. Qui autem his præficiuntur, non modò curare debent, ut in muris stationarii vigilias custodiant, sed ut nocturnas etiam seditiones, & injurias à civitate arceant, & fortuita incendia, aut excitatas quavis occasione insolentias compescant. Quam sanè curam tanti fecit Augustus Cæsar, ut per se illi consuli maluerit, quàm per alios magistratus. Septem cohortes locis opportunis per Urbem constituit, ut testatur *Paul. Jurisconsul. lib.3. ff. de offic. Præf. vigil.* Quo binas urbis regiones unaquæque tueretur. Ipse interim per se obire nonnunquam, ac cum vitæ discrimine vigiles explorare.

EXCUBITORES NEGLIGENTES.

Nota est historia, quo pacto olim per excubitorum negligentiam, Res Romanæ in summum exitium adductæ fuissent, Gallis Capitolium obsidentibus; si non anseres improviso strepitu oscitantes excitassent, hostemque muro imminentem prodidissent.

Alexander Macedo militem in castris pro excubiis dormientem interfecit.

Eripotæ obsidentes Phœnicem, ut scribit *Polibius lib.2.* dum exercitum suum dividunt, & negligentiùs excubant stationarii, Illyrii qui in urbe erant, intempesta nocte exeunt, hostium stationes occupant, manus primo manè conserunt, & victoriam G reportant.

De Hojo, arce ditionis Leodiensis, & Ambiano munitissima civitate Picardiæ, nuper occupata, quòd stationarii aut negligentiùs, aut minùs providè agerent; pete *ex tit. Stratagematum.* Consule etiam *titulum de vigilantia, & vigilibus.*

EXCUBITORES SACRI.

Erant in lege veteri devotæ mulieres, quæ excubabàt in ostio Tabernaculi; ut constat *Exod.* 38. Quod extructo templo magis in usu erat, tunc enim certa ad ostium, vel in atrio tabernaculi, erat habitatio extructa. Talis erat Anna prophetissa *Luc.2.* & de his loquitur Scrip. 1. *Reg. cap.6.* Et *lib.2. Machab. cap.3.* Fuitque inter has enutrita B. Virgo, postquam triennis in templo fuit præsentata. Eratque hic cœtus Religiosus devotarum illius temporis fœminarum, velut typus Religiosarum nostrarum.

Gentiles quoque similem virginum cœtum instituerunt, quæ excubarent in phanis, & sacrum ignem custodirent; quæ & Vestales dicebantur.

* Excusatio.

DEFINITIO, ET MALITIA. H

Excusatio, quæ Græcis συγγνώμη, est objecti criminis diluti- o. Familiare vitium omni ætati, sexui, ordini. Eleganter *Seneca*: Dicimus, Non ego ambitiosus sum, sed nemo Romæ aliter potest vivere: Non ego sumptuosus sum, sed urbs ipsas magnas impensas exigit: Non est meum vitium, quòd iracundus sum, adolescentia hoc facit. Qui quidem nos decipimus, non est extrinsecùs malum nostrum, intra nos est, in visceribus sedet; & ideò difficulter ad sanitatem venimus, quia nos ægrotare nescimus. *Epist.60.* At voluntario facinori, inquit *Cicero lib. Rhet.* nulla est excusatio impudentiæ.

Hoc est maximum vitium, quo laborat humanitas, ait *Cass. in Psal.* ut post peccatum suum maximè ad excusationis refugium, quasi pœnitudinis se confessione prosternat: quod facinus constat inter summa peccata numeratum esse, quia inde nascitur, unde ad pœnitentiam reus tardiùs venire videatur.

A EXEMPLA SACRÆ SCRIPTURÆ.

Excusationis cum bonæ, & idoneæ: tum malæ, & ineptæ.

Post peccatum serpentis suggestione admissum, primi parentes ad excusationis solatia se converterunt, nihil profutura subsidia investigarunt, cum potiùs Justus in initio accusator sui esse debeat, non autem quærere excusationes in peccatis. Hac enim ratione in ipsum Deum velut culpam conjecerunt, qui uxorem talem dedisset, & serpentem creasset. Unde audita Dei voce, rogantis, Adam ubi es? ille, Abscondi me, & timui, eò quòd nudus essem, q. d. erubui venire in conspectum tuum. Dicentique iterùm Deo: Quis enim indicavit tibi, quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti? Dixit rursus Adam: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens decepit me, & comedi. *Gen.* 3.

Cain occiso fratre suo Abel, roganti Deo, Ubi est Abel frater tuus? scilicet cum quo paulò ante egressus es in agrum? velut fratricidium suum celans, Nescio, inquit; nunquid custos fratris mei sum ego. *Gen. c.* 4.

Cum Deus Moysen constitueret legatum apud Pharaonem pro filiis Israel, ille quinque excusationibus adversùs eam legationem se munivit, asserens sui ipsius inhabilitatem, ignorantiam nominis Dei, Hebræorum incredulitatem, & linguæ vitium. Quibus cum Dei voluntatem expugnare non posset, adjecit hanc interpellationem: Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Ac si diceret: Quemcunque volueris, dummodò me non mittas. *Exod. c.* 4.

Abraham in Geraris existente, rapiebatur Sara à Rege Abimelech: quamvis enim esset nonagenaria, erat nihilominùs vultu decoro & eleganti. Objecit autem dormienti Regi visionem Deus, ut videretur cum eo loqui. Dixitque: En morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virum. Abimelech verò non tetigerat eam: & ait, Domine, num gentem ignorantem, & justam interficies? Nonnè ipse dixit: Soror mea est? & ipsa ait: Frater meus est: In simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc. *Gen. c.* 19.

Excusabat se Achimelech filius Achitob, sacerdos, apud Regem Saulem, super conjuratione quam contra se factam comminiscebatur. Quamvis apud impium Regem nihil profecerit, C quò minùs trucidaretur. *Lib.* 1. *Reg. c.* 22.

Fratres Joseph in Ægypto, varias excusationes pro sua fratrisque Benjamin liberatione adduxerunt. *Genes. c.* 42.

Cum Saul contra mandatum Domini, quod per manum Samuelis ei significaverat, holocaustum obtulisset, & idcircò per Samuelem reprehenderetur, variis se modis excusare conatus fuit. At frustra: Transtulit enim Dominus ab eo regnum, in David virum secundùm cor suum. 1. *Reg.* 13.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos, misitque servos suos, dicerent invitatis, ut venirent, quia parata sunt omnia. At cœperunt se singuli excusare. Primus dixit, Villam emi, &c. *Matth. c.* 14.

Præcipiente Anania percutere os Pauli, cum hic dixisset: Percutiet te Deus, paries dealbate, &c. qui astabant, dicebant: Summum Sacerdotem Dei maledicis? Dixit autem Paulus, Nesciebam fratres, quòd Princeps esset sacerdotum.

HISTORICA.

QUID EXCUSAVERINT. V. G.

Luxum.

D Aristippus reprehensus, quòd homo philosophus sumptuosè viveret: Si, inquit, hoc esset crimen, Dii non paterentur in suis sacris. *Erasmus in Adagiis.*

Tarditatem.

Tranio servus apud Plautum in Mostellaria, objurgatus est ab hero, quòd non maturiùs rediisset. Cùm ille se alicubi fuisse diceret, nec simul apud herum esse potuisse, & illud quod jussus fuerat, peragere: Si voles, inquit, verbum hoc cogitare, simul flare sorbereque haud factu facile est. *Erasmus in Adagiis.*

Imitationem.

Maroni cùm Zoili quidam vitio darent, quòd non paucos versus Homeri pro suis usurpasset, respondit, hoc ipsum magnificum esse facinus, vel Jovi fulmen eripere, vel clavam extorquere de manu Herculis. *Macrobius lib.* 5. *Saturnal.*

Crudelitatem.

Nothatus Rex Scotorum V. vir superbus, crudelis, sæviens in subditos, à Dovalo quodam à Gallovidia oriundo, cui insidias vitæ struxerat, monitus, ut à crudelitate desisteret, respondit ipsi: Se, quæ gesserit, jure regio gessisse: si quid durius E paratum esset, non id regis ingenio, sed civium contumaciæ tribuendum. His convitiis ira utrinque irritata cum ad manus ventum esset, Nothatus à Dovalianis obtruncatur. A. M. 3751. regni 20. *H. Henninges in Geneal.*

Formam.

Hector apud Homerum Paridi comam, formam, & imbellem citharam opprobrarat:

Οὐκ ἄρ τοι χραίσμη κίθαρις, τά τε δῶρ Ἀφροδίτης,
Ἥ τε κόμη, τό τε εἶδος, ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείης.
Ni tibi profuerint cantusque & dona Dionæ,
Vel coma, vel species, in pulvere congredienti.

Ad ea sic respondet Paris:

Μή μοι δῶρ' ἐρατὰ πρόφερε, μενοῖν Ἀφροδίτης· id est,
Οὔτοι ἀποβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα,
Ὅσα κεν αὐτοὶ δοῖεν, ἑκὼν δ' οὐκ ἄν τις ἕλοιτο.
Ne mi opprobraris Citheræa optabile donum:
Haud quaquam aspernanda Deum pulcherrima dona,
Quæ ultro dant: neque mox si quis velit, auferet illa.
Erasmus in Adagiis.

QUI EXCUSARINT. F

Pueri.

Alcibiades etiamnum puer, cùm in palæstra ita prehensus esset, ut expedire se nequiret: manum ejus, qui ipsum luctatione deprimebat, contra legem palæstræ momordit. Qui cùm diceret: Mulierum more, Alcibiade, mordes: Minimè verò, inquit, sed leonum more. *Plut. in Apophthog.*

QUOS.

Milites.

Conalvus Magnus solebat dicere, quum humana jura violaret, Imperatori æqua vel iniqua ratione omninò esse vincendum, ut parta demùm victoria, detrimenta illata miseris, cumulata liberalitate sarcirentur. *Iovius in Consalvo.*

QUOMODO.

Joco.

Lysander Lacædemonius carpentibus eum, quòd astu tantùm, & fraude, non apertè res gereret: Ubi desit, ait, leonina, ibi vulpina assuenda.

Serio.

Hieremias in matris utero sanctificarum se audit, & tamen ait: Eheu Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et tunc demùm ad prophetandum populo se accinxit, cum Dominus non jam invitaret, sed imperaret, dicens: Noli dicere, quia puer sum; quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis, & universa, quæcumque mandavero tibi, loqueris. Ad hæc ne quid dubitaret, tangit os ejus: Et ecce dedi, inquit, verba mea in ore tuo.

Execratio.

☞ *Consule Titulum de Imperatione.*

* Exemplum.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

Exemplum, Græcè παράδειγμα dicitur: Et est alicujus facti, vel dicti præteriti, cum certi auctoris nomine, propositio, *secundùm Cic. lib.* 2. *Reth.* Exemplum est, non ut totum ad totum, neque ut totum ad partem, sed pars ad partem, simile ad simile: quando utraque sub eodem genere sunt, sed unum altero magis perspicuum, *secund. Cic. lib.* 1. *Rhet.*

Porrò exemplum est, quod sequamur aut vitemus: Exemplar ex quo simile facimus. Illud animo æstimamus, istud oculis H conspicimus. Perottus ait, ab Exemplari desumi exemplum: Et hoc quidem plerumque incorporeum esse, illud verò corporeum. Posset videri deductum ac exemptum, ut sit, quod aliunde eximitur & extrahitur. Isidorus Exapla dicit ab φραφὰ, id est, expando, explico, quod convenit naturæ exempli.

EXEMPLORUM.

CUM BONORUM, TUM MALORUM

Efficacia.

Exemplum esto fidelium in verbo, & conversatione, in charitate, in fide, & castitate, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. 1. *Tim.* 4.

In omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile. *Tit.* 2.

Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. *Iac.* 3.

Exem-

A Exemplum accipite fratres exitus mali, & longanimitatis, & laboris, & patientiæ, prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. 5.

Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. 1. *Petr.* 2.

Civitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit, exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens. 2. *Petr.* 2.

Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. *Judæ v.* 7.

Domus Episcopi, & conversatio, quasi in speculo posita magistra est publicæ disciplinæ: quidquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant. *Hier. in epist. ad Heliodorum.*

Sancta rusticitas solùm sibi prodest, & quantum ædificat exemplo & vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat. Innocens absque sermone conversatio, quantùm exemplo prodest, tantùm silentio nocet. Nam B latratu canum, & baculo pastorum, deterrenda est rabies luporum. *Hier. in epist. & est in glossa* 1. *Tim.* 3.

Duo illa nos maximè movent, inquiebat *Cicero*, similitudo & exemplum. Et *Seneca ad Lucilium*, Longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla. Causam verò hujus rei reddit, Quia homines plus oculis credunt, quàm auribus. Et ut scitè Aristoteles, Quapro clivior est ad cognoscendum bonum particulare, quàm universale. Senecæ *Horatius* consentit:

Seguius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.
Ovid. de Ponto lib. 3. *eleg.* 2. *ad Cottam.*
Cum feriant unum, non unum fulmina terrent:
Junctaque percusso turba pavere solet.
Cumque dedit paries venturæ signa ruinæ,
Sollicito vacuus fit locus ille metu.
Quis non è timidis ægri contagia vitat;
Vicinum metuens ne trahat inde malum?
Idem 6. *Fastorum.*
Sic agitur censura, & sic exempla parantur.
C *Cum judex alios quod monet, ipse facit.*
Horat. Carm. lib. 3. *Ode* 5.
Hoc caverat mens provida Reguli,
Dissentientis conditionibus
Fœdis, & exemplo trahentis.
Perniciem veniens in ævum,
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes.
Horat. Serm. lib. 1. *Satyr.* 1.
Parvula (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit quodcumque potest, atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri.

EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Neque desunt veteres & Sacræ historiæ, quibus exemplorum en ergia firmetur. Quippè de Enos legimus, quòd cœperit invocare nomen Domini; publico videlicet, & solemni cultu, quem ab ipso imitati cæteri. Unde illius impulsu hominum cœtus instituti fuere, cœperuntque congregari in Ecclesiam, & ad publicum Dei cultum per sacros ritus, & cœremonias. *Gen. cap.* 5.

D De Abraham, Deus testimonio præclaro protestatur, dicens: Scio, quòd præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium, & justitiam. *Gen.* 18.

Fugientem operto capite, & nudis pedibus Davidem, principes eodem habitu insecuti sunt. 2. *Reg.* 15.

Cum populus Israeliticus Jordanis alveum transire deberet, ut terram promissionis ingrederetur, omnium primi transierunt Sacerdotes, quos reliquus populus secutus est, ita ex Dei voluntate præcipiente Josue: meritò sacerdotes terrorem populo excutere debuerunt, ne undis irruentibus suffocarentur. *Iosue c.* 4.

Ad prædicationem Jonæ Prophetæ primus pœnitentiam egit Rex Ninive, qui suo exemplo universum populum ad pœnitentiam faciendam induxit, & ab ira Dei liberavit.

Regulus Christi miraculo ac beneficio ad credendum inductus, non solùm credidit ipse, sed & domus ejus tota, ejus auctoritate & exemplo commota. *Ioan. c.* 4.

De Christo dicit Lucas, quòd cœpit facere, & docere. *Act.* 1. Et ipse ad discipulos, Dicite, inquit, à me, quia mitis sum, & *L. B. Theat. Vitæ Human. Tom. III.* humilis corde. Sed & ex hoc mundo transiturus ad Patrem, postquam abluisset pedes discipulorum, rogabat eos: Scitis quid fecerim vobis? & paucis interjectis: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci vobis, ita & vos faciatis. Ille demum magister aliorum vocari dignus, qui se illis præbet bonorum operum exemplum. *Ioan. c.* 13.

Herode turbato in adventu magorum, omnis etiam Jerosolyma turbatur. *Scilicet in vulgus manant exempla regentum Matth. c.* 2.

HISTORIA SANCTORUM EPISCOPORUM.

Detinebatur S. Martinus Episcopus Turon. vi febrium in lectulo per multos dies: neque tamen idcircò à Dei opere cessabat, & pernox in oratione ac vigiliis, fatiscentes artus spiritui servire cogebat, nobili illo strato cilicio, & cinere recubans. Rogatus autem, ut saltem vilia ac modica stramenta suo corpori pateretur supponi: Non decet, ajebat, filii, Christianum nisi in cinere mori. Ego si aliud vobis exemplum relinquo, ipse peccavi: *Probè ac scitè ille:*

Sic agitur censura, & sic exempla parantur,
Cum judex alios quod monet, ipse facit.
Sulpit. in vita. Beyerlinchk in Apophthegm. Christian. F

Simili etiam modo Macarium Abbatem respondisse tradunt. Cùm enim apud eum verba faceret religiosus quispiam de abstinentia, eamque sibi admodùm duram videri diceret, ille, Confide fili, ait: per annos viginti ego neque pane, neque aqua, neque somno satiatus sum. Ita suo exemplo alterum ad abstinentiæ virtutem incitabat. *Ex Socrat. lib.* 8. *hist. Trip. c.* 1. *Idem ibidem.*

S. Tranquillinus audiverat Zoen uxorem Nicostrati pro Christo neci dandam; ejusque exemplo permotus: Quid, inquit, fœminæ nos ad martyrium præcedant? indignum. Itaque se Christianum professus, lapidibus obruitur. *Sur. tom.* 1. *in vit. S. Sebast.*

De S. Ludovico F. R. memoriæ proditum, quòd, cùm inquisivisset ex quodam aulicorum, lavaretne suorum pedes feria quinta majoris hebdomadæ, & ille sibi hoc indecorum videri diceret, subintulerit: Quid, indecorum? non debes abhorrere, quod suo nobis exemplo exhibuit Dei filius, qui hoc die discipulorum pedes lavit. Quantò minùs tu faceres, quod modò Angliæ Rex, qui leprosorum pedes hoc die non lavare tantùm, sed exosculari etiam consuevit? *Ionuil. vitæ ejus cap.* G 84. *Beyerl. sprà.*

Factam de Ludovico mentionem, haud injuria sequetur Franciscani cujusdam Religiosi prudentia. Aperuerat huic Ludovicus Caroli II. Siciliæ Regis filius, dum in Cathalonensi detineretur custodia, se votum Deo fecisse perpetuæ castitatis, & capiendi institutum D. Francisci: cùmque dubius hæreret, quo tandem loco propositam rem exequeretur, pius pater dilationis periculo ob oculos posito, quantumque suo exemplo splendoris aliis allaturus sit, demonstrato: Cogita, inquit, quantùm exempla bona prosunt: magnorum namque virorum non minùs memoria, quàm præsentia est utilis. Ex *vita S. Ludovici Episc. Tolos. c.* 11. *impressa apud Ioan. Moretum. Beyerl. ibid.*

At in fœmina quoque satis illustre habemus exemplum. Dicente Sapricio Præside virgini Dorotheæ, ut diis sacrificaret, ni legibus acta amaris, exemplum timoris dare eligeret, hoc responsum dedit: Omnibus dabo exemplum timoris Dei, ut hi qui timent Dominum, homines rabidos non timeant. *Sur. tom.* 1. *in vita.*

S. Augustinus disertè fatetur, se conversione Victorini doctissimi senis, omniumque liberalium artium peritissimi, H quam illi narrabat Simplicianus, fuisse permotum ad suam conversionem. Ubi, inquit, *Lib.* 8. *Confes.* homo tuus Simplicianus de Victorino isto narravit, exarsi ad imitandum: Ad hoc enim & ille narraverat, *cap.* 2. & 5. Quinimò mox exemplorum sanctorum præsidio, carnis tentationem superavit. Ut fatetur *c.* 12.

Narrat *lib. eodem c.* 6. de duobus Imperatoris aulicis, qui in casam Eremiticam incidentes, dum vitam S. Antonii legissent, relicta sæculari militia, se divino servitio manciparunt. Et ambo, inquit Augustinus, habebant sponsas. Quæ posteaquam hoc audiverunt, dicaverunt etiam ipsæ virginitatem Deo.

Narcisus Episcopus, cùm sæviente in Christianos persecutione cum Felice Diacono suo Augustam Vindelicorum venisset profugus, & ad Afram meretricem sortè divertisset, illa existimans viros honestate conspicuos, non nisi turpitudinis studio eò deflexisse, illicò cœna opiparè instructa, fuco meretricio de more ornata, ad flagitiosos actus sese composuit. Porrò antistes cum ad sumendum cibum accessisset, &

A primùm toto corpore, vultu, oculisque ad orationem se componeret; illa, cujus omnis orandi consuetudo non modò ignota, sed ne visa quidem esset, insolita viri pietate stupefacta, inquisivit, quis esset. Cumque Christianorum eum Episcopum esse cognovisset, mox salutari pudore suffusa, & pariter timore correpta, ad ejus se pedes abjecit, ac impudicitiæ suæ labem confessa est. Cui Narcissus verbis protinùs lenissimis Christi Jesu bonitatem explicuit, hortatusque, ut impudico, & flagitioso vitæ genere relicto, cum Christo in gratiam rediret, haud difficulter effecit, ut prioris vitæ pertæsa, ad matrem suam, Hilariam nomine, abiret, eidemque & Narcissi monita, & animi sui propositum aperiret. Porrò Hilaria, audita Narcissi Episcopi fama, illicò cum filia in Christi amorem exarsit, & se suaque omnia Antistiti permittens, sacro baptismate veteris vitæ delictis ritè expiaris, Christiana sacra suscepit: & Afra cum tribus puellis, Digna, Eutropia, & Eunomia, ab infelici dæmonis servitute ad Christi stipendia transivit. *Ex vita apud Surium*, 5. *Aug.*

GREGORIUS apud Nazianzenum oppidum in locum patris Episcopus subrogatus, hæreticorum turbinem fideliter tulit.
B Reddita verò pace, Constantinopolim ad Ecclesiam docendam venire exhortatus, non abnuit. Ubi brevi tempore tantùm ad emendandum populum vetustis hæreticorum infectum venenis profecit, ut tunc primùm Christiani sibi fieri viderẽtur; & novellam lucem aspicere, cùm religionis Doctor multa quidem verbis, plura tamen doceret exemplis: nec viderent ab eo discipulis aliquid imperari, quod non priùs ipse fecisset. *Euseb. hist. Eccles. lib.* 11. *c.* 9.

☞ *Huc refer exẽpla ex tit. de Educatione. Instit. filiorũ, &c.*

EXEMPLA PRINCIPUM. *Pete nonnulla ex dictis.*

Quantum faciunt ad virtutes, & vitia subditorum.

Principem Reipublicæ oculum veteres dixere, imò ceu Deum aliquem, prudentia, moderatione, moribus se exhibere oportere. Quod enim Cor in animali, in civili ille corpore est Princeps. Imò & speculum subditorum. Quò respiciens Martialis, ita cecinit:

Nemo suos; hæc est aulæ natura potentis;
Sed domini mores Cæsarianus habet.

THEODORICUS Gothorum Rex apud Cassiodorum ad Senatum scribebat: Facilius esse errare naturam, quàm dissimilem
C sui facere Rempublicam. *Laur. Beyerlinch. part. hiem. prompt. Festorum text.* 3.

MANASSES Rex Judæorum impietatem suam in populum transfundebat. 2. *Reg.* 21. E contra piissimus David, pietatem & religionem.

URIAS Sacerdos 4. *Reg.* 6. obsecutus est impio Regi Achaz. Miserat enim ille ad Uriam exemplar altaris, quod erat in Damasco, & similitudinem operis, cui simile exstruxit Urias, & altare æneum, quod erat coram Domino, transtulit de facie templi.

Quomodo patrum memoria assentiebãtur impiissimo Henrico VIII. adversùs Ecclesiæ primatum, viri principes, cum sacri ordinis, tum sæcularis. Quo fonte derivata hæresis, omnia florentissimi istius Regni membra depasta est, & etiamnum depascitur.

LADISLAUM Regem Bohemiæ, refert ex *Joan. Molano Beyerlinch* supra, noluisse exhibere reverentiam Rachaseno presbytero infamis vitæ, etiam dum S. Eucharistiam deferret: hoc solùm permotus, ne sacrilegum illum popularibus videretur approbasse, quorum, inquiebat, mores à principe pendent.

D Quis neget, à paucis annis liberiora fuisse inter Galliarum proceres adulteria, Rege ipso fœdis libidinibus plus æquo dedito?

Ut herbæ quædam ad Solis motum, sic Populares in Principum mores vertuntur: dicebat Aragonum Rex Alphonsus.

Luxus in conviviis, veste, supellectile, ad Vespasiani tempora Romæ invaluerat. Illo Principe, spontè exolevit. Caudam Tacitus depromit: Præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipso cultu, victuque.

NERONIS grassantis per urbem, & ad lupanaria servili veste discurrentis, exemplum imitati impunè alii, sic ut indomita vagandi licentia vix potuerit coerceri. *Corn. Tacit. & Sveton.*

Philippum Regem prodigum, ac rerum suarum dissipatorem, secuti sunt comites, & familiares, mox etiam cives. *Athen. l.* 4. *c.* 20. Cretenes Regum suorum æmuli, venationibus & re nautica se exercebant. Voluptatibus diffluebant Thebani. Sybaritæ eum civem æstimabant, qui novum libidinis monstrum exhibuisset. Sanè Princeps amans mendacia, ait Salomon, habet omnes ministros impios. *Prov. c.* 29.

Pius Princeps in universam familiam virtutis suæ exerit E
splendorem. In Serenissimis Belgarum Principibus, Alberto, & Isabella, res notissima est, quo pacto aulam suam velut in pudicitiæ, modestiæ, & religionis sacrarium commutarint, omnium non Principum modò, sed ministrorum etiam animos, exemplo suo iisdem virtutibus imbuerint, quæ à capite illo ad membra diffluebant, ut nullum videres unquam, qui non vultu, sermone, incessu, eadem exprimeret: nulloque apud eos loco haberentur, qui eas non ostenderent. Refert *L. Beyerl. in orat. sua funebri, habita in Exequias ejus. Principis, impressa apud Balthaz. Moretum.*

De Alexandro, & Alphonso, quorum hic à natura, ille prava consuetudine collum contorquebat, legimus, amicissimos illis fuisse, qui hoc vitium exprimerent.

Nero cytharædos & histriones complectebatur: ocyùs hujusmodi fæce urbs abundavit.

FRANCISCUS I. Rex Franciæ, accepto vulnere, capillitium Regum insigne totondit, quò faciliùs curaretur: extemplò id fecerunt aulici, quod priùs probrosum habebatur. Quin exultantibus è Gallia bonis litteris, ipse eas restituit, cum eas plurimùm amaret. F

Josina Rege Scotiæ in medicos liberaliter multa erogante, universa illius nobilitas illi se studio dedicavit.

Vellejus Parteculus de Augusto Cæsare scribit: Facere rectè Princeps optimus cives suos faciendo docet. Cùmque sit imperio maximus, exemplo est major. Consulat pro hac re Lector *Camerar. in hor. succis. p.* 1. *c.* 66.

EXEMPLA MAGISTRORUM, DOCTORUM.

Zenonem. ait *ad Lucilium Seneca*, Cleantes non expressisset, si eum tantummodò audivisset. Vitæ ejus interfuit, secreta perspexit. Observavit illum, an ex formula sua viveret *Epist.* 6.

Plato, & Aristoteles, omnisque in diversum iuta sapientum turba, plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit. *Ibid.*

Sic Aristides apud Platonem in Theage: Ego, inquit, Socrates, nihil unquam à te didici, ut & ipse nosti. Proficiebam autem, quoties tecum unà eram, etiamsi tantùm una in domo essemus, quànquam non in eodem cubiculo: magis tamen, si quando in eodem tecum cubiculo.

Pindari inter alia monitum aureum erat ad Hieronem G
Siciliæ Regem, πολλῶν ταμίας θοῦ, πολλοὶ μάρτυρες, ἀμφότεροι πιστοί, multorum dispensatores: multi testes, utrique fidi.

Contubernalium. Sociorum. Hospitum. *Eaque efficacia in negotio Conversionis & Religionis.*

PACOMIUS anno 316. cum gentilis adhuc in Constantini Magni exercitu militaret annum vigesimum agens, & deficiente victu, fame omnes enecti essent, cum suis appulit in quoddam Thebarum oppidum. Vespere autem cùm cives vidissent eos in satis tuta esse custodia, & de eis audivissent viri Christiani & misericordes, attulerunt eis omnia, quæ erant ad usum necessaria, & valdè magnum eis præbuere solatium, cùm essent in maxima afflictione. Cùm Pacomius vidisset, quod ab eis factum fuerat, & hoc valdè esset miratus, didicit ab eis, qui unà cum eo erant, Christianos erga omnes quidem, præcipuè autem erga hospites, esse benignos, & misericordes. Rogante autem eo, quidnam esset appellatio Christianorum, dicebant: Sunt homines pii, & Deum colentes, credentes in nomen unigeniti Filii Dei sui Jesu Christi: & omnibus benefacientes, sperant ab eo mercedem remunerationis. Ipsis autem hæc ei di- H
centibus, mente illuminatus, & fidem Christianorum admiratus, & metu Dei corde inflammatus, & spiritu exultans, cùm parùm secessisset, & apud se fuisset; manus suas in cœlum extendit, & dixit: Domine Deus, qui fecisti cœlum, & terram, si respiciens respexeris humilitatem meam, & mihi tuæ divinitatis dederis cognitionem, & me liberaveris ex hac afflictione, tibi serviam omnes dies vitæ meæ, & convenientê tuis præceptis vitam instituam. Cum ergo esset precatus, & sic Deo policitus, uno die postea egressus è custodia cum iis qui cum ipso erant, & navem ingressus, navigavit ex illo oppido. Interea autem dum in aliena regione versaretur, si quando eum carnis voluptates, aut rerum aliquarum mundanarum vexarent cupiditates, valdè aversabatur, precum memor, per quas mente illuminatus Christum fuit professus, & ejus, qui in ipsum extitit divinæ gratiæ adventus. *Metaphrast. apud Baron. tom.* 3. *Annal.*

Huic consonat, quod scribit *Beda de* S. Albano, qui paganus adhuc, cùm perfidorum Principum mandata adversùs Christianos sævirent, clericum quendam persecutores fugien-

A fugientem hospitio recepit. Quem dum orationibus continuis ac vigiliis diu noctuque studere conspiceret, subitò divina gratia respectus, exemplum fidei ac pietatis illius cœpit æmulari, ac salutaribus ejus exhortationibus paulatim edoctus, relictis idololatriæ tenebris, Christianus integro ex corde factus est. Cùmque præfatus clericus aliquot diebus apud eum hospitaretur, pervenit ad aures nefandi Principis, confessorem Christi, cui necdum fuerat locus martyrii deputatus, penes Albanum latere. Qui cum ad tugurium martyris pervenissent, mox se sanctus Albanus pro hospite ac magistro suo ipsius habitu, id est, caracalla, qua vestiebatur, indutus, militibus exhibuit, atque ad judicem vinctus perductus est. Contigit autem, judicem ea hora, qua ad eum Albanus adducebatur, astare. Cùmque vidisset Albanum, mox ira succensus nimia, quòd se illi ultrò, pro hospite quem susceperat, militibus offerre de discrimini dare præsumpsisset, ad simulacra dæmonum, quibus assistebat, eum jussit pertrahi: Quia rebellem, inquiens, ac sacrilegum celare, quàm militibus reddere maluisti, ut contemptor Divum, meritam blasphemiæ suæ pœnam lueret, quæcumque illi debebantur supplicia, tu solvere habes, si à cultu nostræ religionis discedere tentas. At sanctus Albanus, qui se ultrò persecutoribus
B fidei Christianum esse prodiderat, nequaquam minas Principis metuit, sed accinctus armis militiæ spiritualis, palam se jussis illius parere nolle pronunciavit, &c. Qui cùm tormentis afficeretur acerrimis, patienter hæc pro Domino, imò gaudenter ferebat. At ubi judex illum tormentis superari, vel à cultu Christianæ religionis revocari non posse persensit, capite eum plecti jussit. *Lib.* 1. *Eccles. histor. gent. Anglic. cap.* 7.

De puero Judæo, qui postea baptizatus Constantini nomen tulit, hæc Græcorum Menæum. Cum matrem suam, nescio quò euntem, sequeretur, vidit hominem Christianum, qui dum in terræ scrobem quandam prolaberetur, signum crucis ori imprimebat; cujus puer secutus exemplum, & ipse deinceps crucem subinde efformabat, sacraque tandem Christiana amplexus, ardenti fide profectus est. Cùm puella illum Hebræa (pudoris extorquendi causa) invaderet, illam signo crucis repentè exanimavit, rursumque postea in vitam revocavit. Hic cum præfecto monasterii statum vitæ suæ exponeret, jubet ille proferri crucem, & ab eo salutari: cum beatus iste pedem osculo libaret, tota fronte & brachiis, veneranda
C crux sese in sancti pueri verticem submittens, characterem crucis capiti indelebilem impressit, quem per omnem posteà vitam servavit. Dignus ergo baptismatis gratia judicatus, sacris Christianis est initiatus, & Constantinus dictus. Ex. Men. *Græc.* 26. *Decemb. Grotherus Lib.* 5. *de Cruce c.* 41.

☞ *Refer ad hunc Locum nonnulla ex Locis de Commercio, & Societate.*

Exercitium, Exercitatio.

* DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

EXercitium, Græcè γυμνασία dicitur. Et est vitæ humanæ conservatio, caloris naturalis lima, excitatio dormientis naturæ, virtutum corroboratio, superfluitatum consumptio, otio inimicum, temporis lucrum, juventutis debitum, & senectutis gaudium. Hic ergo solus ab exercitio abstineat, qui sanitatis beneficio vult carere. *Secundum Fulgentium.* Dicitur autem exercitatio, quòd vires velut intùs latentes foras arceantur, & frequenti usu occupentur.

D Exercitatio, Græcè ἄσκησις, εως, ab ἀσκέω, exerceo dicitur, venitque ab arceo, quod est, premo, fatigo, quasi extra arceo. Exercere, propriè fatigare est. *Terentius, Isane, ego te exercebo hodie, ut dignus es silicernium.*

EXERCITIA OBITA

Animi.

☞ *De his sub loco Affectuum per se, hic verò quatenùs corpus unà afficiunt, & perturbant. Hoc ipso nomine Græcis πάθη, Latinis Affectus, & Perturbationes dicuntur.*

CORPORIS.

In Genere.

Germani & Cretenses laboriosis exercitationibus, currendo, algendo, æstuando, arduas difficilesque vias peragrando, exercuerunt juventutem: item pugnæ quoque simulacris. *Alex. lib.* 2. *c.* 25.

Gymnosophistæ adolescentes nequaquam ad cibum potumve admittebant, nisi priùs quid ea luce laboratum, quid- *L. B. Theatr. vitæ Human. Tom. III.*
que effectum esset, coram senioribus bona fide indicassent. E
Alex. ab Alex. lib. 5. *c.* 21.

LYCURGUS Lacedæmonum legislator, pueros impuberes non in forum, sed in agrum deduci præcepit, ut primos annos non in luxuria, sed in opere & laboribus agerent; nihil somni causa substernere, vitamque sine pulmento degere: neque priùs in urbem redire, quàm viri facti essent. *Justin. lib.* 3.

Lacedæmonii infantes suos non otio, & ignavia, sed labore assiduo, juxta Lycurgi leges, educabant. Quare & proverbio increbuit, solas Lacænas viros parere. Eorum virgines nondum adultæ, in discorum jactu, cursibus & palæstra exercebantur nudæ. Id quod etiam Plato probavit, ut non modò puellæ, sed & anus luctarentur. *Plutarchus in Laconicis.*

Cyrus Persarum rex ad prandium aut ad cœnam se non conferebat, nisi antea ex multo labore & exercitatione corporis sudasset. Idem voluit, ut milites semper opus in castris facerent. Nec unquam juventus, nisi prævio sudore, cibum sumeret. *Xenophon in Pædia.*

IN SPECIE. *Vociferatio, Declamatio.*

Disputatio quæ quotidie voce peragitur, mirifica est palæ- F
stra, non ad sanitatem tantùm, sed etiam ad valetudinem; non quidem illam quæ cutem carne vestiat, & incrustet: verum quæ vitalibus maximè principibusque partibus robur conciliet. Quia robur à spiritu confirmari ostendunt Aliptæ, qui Athletis jubent, ut renitantur frictionibus, animumque adhibeant iis corporis partibus, quæ contrectantur. Quippè vox quæ spiritus motio est, non in superficie, sed quasi in fontibus invalescens, circa viscera calorem alit, extenuat sanguinem, venam omnem repurgat, cogi & coagulari non permittit humorem superfluum, sicut fecem in vasis, quæ alimentum recipiunt & conficiunt. Debemus igitur imprimis amare hoc exercitium, atque ei assiduè dicendo assuescere. Sin autem suspectes aliquo modo corpus minùs firmum aut defatigatum esse, legendo vel declamando. Quod enim gestatio ad exer- G
citationem, hoc ad disputationem est lectio, quæ tanquam in vehiculo alieno in sermone agitat molliter, & portat leniter vocem. Disputatio verò conspirante cum animo corpore, contentionem, & ardorem addit. Vociferationes sunt tamen declinandæ nimis commotæ & asperæ. Efficit enim spiritus impetus, & contentio inæqualis rupturas & convulsiones. *Plut. Præcept. sal.*

Deambulatio.

Socrates, cum sæpiùs ante domum summo vespere deambularet, interrogantibus, Quid istic agis? respondere solebat: Obsonium ad cœnam comparo. *Athenæus libro* 4. *cap.* 18. *& Cic.* 5. *Tuscul.*

Cùm nunciatum esset Ephotis, Spartanos, qui Decelejam tenebant, deambulationibus uti pomeridianis, miserunt ad eos qui monerent, Non oportere Lacedæmonios deambulationibus, aut inertia, sed exercitio corporis bonam valetudinem parere, & tueri. *Ælianus lib.* 2. *de Varia historia.*

Chrysanthius Sardianus Pontifex, & philosophus, à studio surgens, animum recreabat pro deambulando in viam publicam, & militarem, spatiaque longa, sed ociosè lentèque instar podagrici, emetiebatur: tantoperè deliniebatur animus narrandi suavitate. *Eunapius ejus discipulus.*

Saltatio.

Socrates sufficere dicebat ei, qui saltando movet se, septem lectorum capacem ad se exercendum domum. *Plut. Præcept. sal.* H

Cursus.

Amasis regis edicto non priùs cibum capiebat Ægyptiaca juventus, quàm 180. stadia percurrisset. *Diodorus Siculus.*

Militaris exercitatio.

Apud Baleares insulas, matres pueros à prima statim infantia hoc labore assuefaciebant, ut nisi oblatum cibum baculo aut funda priùs attigissent, eo vesci prohiberent. *Alexand. lib.* 2. *c.* 25.

Apud Carducos, Acarnanes, & Æthiopes, saxa ingentia fundis intorquere, aut sagittas & jacula ingentis ponderis vibrare, à teneris assuescunt.

Aurelianus Cæsar nullum reliquit vacuum diem, quin se pila, sagittis & armis exerceret. *Alex. lib.* 1. *c.* 20.

Antonius Caracalla Imp. præterquam quòd se cum militibus exercebat, iter semper onustus armis pedes fecit. *Alex. ab Alex. lib.* 1. *c.* 20.

Agricultura.

☞ *Consule. Tit. Agricultura studium. Illic Mechanici habitus, hic Corporis sola spectatur exercitatio.*

A Numa Pompilius, ne populus otio marceſceret, agros diviſit: Terminum agrorum fines ſeparantem Deum adjunxit: ſigillatim, qui obſervarent, quique agros circumirent, ſtatuit, ex operibus civium mores conjectans. *Plut. in Numa.*

Venatio.

☞ *Ex Tit. Venatorum, & Venationis ſtudii huc quadam.*

Lucani filiis ſuis nullum alium cibum apponebant, niſi quem è venatione domum reportaſſent. *Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25.*

* EXERCITATIONIS BELLICÆ SIVE MILITARIS DOCUMENTA ET MONITA VARIA item exempla.

Xenophon. ita habet: Intereà dum hoſtes adventare quidem dicerentur, necdum tamen adeſſent, Cyrus & corpora ſuorum ad robur exercere nitebatur, & ordinum rationem oſtendere, & ad res bellicas animos acuere. Ac primùm apparitoribus à Cyaxare acceptis, mandabat, ut abundè militibus ſingulis B omnia, quibus eſſet opus, parata ſuppeditarent. Quod quum ita curaſſet, nihil jam multis reliquum erat, niſi rei militaris exercitatio. Videbatur enim animadvertiſſe ſibi ſingulis illos in rebus effici præſtantiſſimos, qui animum à ſtudio rerum plurium revocantes, multarum rerum occupationibus, uni ſe totos darent. Quin etiam militibus ab arcus & jaculorum exercitiis abſtinere juſſis, hoc reliquit, ut dumaxat instructi, gladio, crate, loriça pugnarent. Itaque ſtatim ſic eorum præparavit animos, ut vel cominùs cum hoſte congrediendum ſtatuerent, vel fatendum, ſe nullius in bello momenti ſocios eſſe. Id verò fateri grave eſt illis, qui aliam nullam ob cauſam annonas accipere ſe norunt, quàm uti pro illis pugnent, qui eas præbent.

Præterea quum in mentem ei veniret, homines ad illa exercitia multò alacriores eſſe, quæ cum quibuſdam contentionibus ſuſcipiuntur: certamina militibus indixit earum rerum omnium, in quibus exerceri milites, utile judicaret. Erant autem hæc quæ indicebat Militi gregario: Præfectis ſe obedientem exhiberet, ad labores impigrum, ad ſubeunda pericula promptum, ſed ordinis tamen obſervantem; peritum rerum C militarium, in armis elegantiæ ſtudioſum, & in hujuſmodi rebus omnibus laudis avidum; quinario, ut & ipſe boni militis gregarii more ſe gereret, & quinionem pro virili talem exhiberet: decurioni, ut decuriam: manipulario, ut manipulum: itidemque præfecto cohortis, & aliorum præfectorum unicuique, tum ut ipſe culpa & reprehenſione vacaret, tum daret operam, ut conſtitutos ſuo ſub imperio duces viciſſim ſibi ſubjectos in officio contineret.

Præmia verò proponebat, cohortium quidem præfectis, ut qui cohortes longè optimas reddidiſſe viderentur, tribuni fierent: manipularibus autem, ut qui manipulos effeciſſe optimos viderentur, eorum in locum ſuccederent, qui fuiſſent præfecti cohortium: itidem optimi decuriones in manipulariorum, quinarii in decurionum, gregariorum militum præſtantiſſimi quinariorum in loca ſubſtituerentur. Atque omnes hi præfecti primum hoc habebant, quòd à ſubjectis ſibi colerentur, deinde honores etiam aliquos, cuique par erat tribui, ſequebantur. Quin & majores ſpes laude dignis oſtentabat, ſi qua ſequuturo tempore fortuna lautior adfulſiſſet. Totis etiam cohortibus, totis manipulis, decuriis, quinionibus præmia victoriæ promiſit, ſi præfectis ſe ſuis obedientiſſimos declararent, & exer- D citationibus demonſtrata ſumma cum alacritate obirent. Præmia quidem erant ejuſmodi, qualia multitudini conveniunt. Atque hæc ſunt, quæ & ipſe indicebat, & in quibus milites exercebat, *c. 7. lib. 2. Cyropedia.*

Leo Imperator, qui & Philoſophus, ad filium ita ſcribit, juxta nuperam editionem *Ioan. Meurſ.* Deinceps jam de exercitatione, quæ bellica certamina debet anteire, numero & paucis, ò Imperator, verba faciam, ut per iſtas exercitationum perilitationes, ad vera pericula eos aſſuefacias. Imperitia enim ad ſubitas & irruentes rerum aggreſſiones cæca & incita eſſe ſolet.

2. Hyeme aut alio quovis tempore, quando intermiſſio belli eſt, aut excurſionum in hoſtili terra relaxatio, aſſuefaciendi ad patientiam laborum ſunt milites, & bellicoſi operoſique aſſiduitate reddendi ſunt, neque in otio & deſidia eſſe ſinendi. Etenim otium languida & ſoluta facit corpora, deſidia timidas & effœminatas reddit mentes. Voluptates enim quoties inſcantes fortiſſimum quemque corrumpunt. Quando autem longo tempore interpoſito ad labores veniunt, neque lubenter ſuſtinent, neque diù durant; ſed ſtatim refugiunt, priuſquam periculum laborum bellicorum fecerint: ſin in periculum venerint, facilè iterùm diſcedunt, neque ad perferendos labores, E neque ad ſuſcipienda pericula idonei ſunt. Quare bonum ego judico Imperatorem, qui tum præparat, tum diſponit omnes res, omniaque negotia ad uſus bellicos ſpectantia, quando rei bellicæ nulla neceſſitas urget. Exerceto autem eos his moribus & inſtitutis.

3. Primùm, unuſquiſque miles in aliquo negotio ſit. Graves autem, id eſt, ſcutatos pedites, vel qui univerſam armaturam geſtant, ad ſingulare certamen cum ſcutis & virgis inter ſe exerceas.

4. Ad conjicienda eminùs jacula & matzuarbulum, quod nunc dicitur Saliba, vel tzicurim.

5. Levem armaturam exercebis ad ſagittas celeriter jaciendas, in haſtam aliquam altam eminùs defixam.

6. Ad jacula eminùs conjicienda & fundas.

7. Equites exercebis ad ſagittas celeriter jacienda: celeritas enim præparat ſagittam, tum ut facilè ex arcu excutiatur, & cum impetu emittatur: quod neceſſarium eſt, & iis qui equis vehuntur, in primis conducibile.

8. Atque etiam ut pedibus ſimiliter eminùs jaciant ſagittas, ſive in haſtam, ſive in quodvis aliud ſignum.

9. Ut ſagittas in omnes partes equo currentejaciant, antè, retrò, dextrorſum, ſiniſtrorſum. In equum ut exilire poſ- F ſint.

10. Ut ſagittas contentè jaciant ex equo currente, unam atque item alteram, & intentum arcum confeſtim in corytum ponant, ſi latus ſatis corytus fuerit: ſin minùs, in ſemicorytum ad hoc ipſum opportunè factum ponant, & haſtam humeris ſuis geſtatam ſtatim in manus ſumant. Poſteaquàm autem arcum in coryto intentum habuerit, & ſumpſerit haſtam, in humero iterùm haſtam ſtatim ponat, & arcum ſine mora aſſumat.

11. Ut invadant ſe mutuò duo viri, & recedant, & rurſus ingruant, & evolvant ſe ad modum paracontarii.

12. Utile verò eſt in ipſo itinere faciendo, ut quidam ex illis ſuis locis ſe exerceant, & conentur hæc ex equis facere: hoc modo ipſum iter expeditum erit, & equi minùs atterantur.

13. Si contingat, in expedito commorari exercitum, id eſt, in eo loco, ubi coactus eſt, omni eo tempore ne unus quidem ex militibus, quantum fieri poteſt, otioſus ſit; ſed ad laborem, ut dictum eſt, aſſuefaciendi omnes ſunt, & interdum prædicto more exercendi, interdum in acie, & inter ſe, interdum in armis ſuis detergendis & nitidandis occupentur. Otium enim non ſolùm ignavos & effœminatos facit, ſed etiam ad inania quædam & turbulenta cogitanda animum traducit. Ad volun- G tarios labores ſi ſe exerceant, facilè etiam coacti labores perferent, & ad imperata facienda aptiores erunt.

14. Nec ſigillatim modò exercebis eos, ſed generatim etiam aſſuefacies, ut ſuas ſtationes perfectè cognoſcant, & in illis commorentur. Et aſpectu & nomine familiariter ſe mutuò agnoſcant, & ſub quo præfecto miles unuſquiſque ſit, in qua cohorte, & quibus cum viris in contubernio collocetur.

15. Cognoſcat etiam celeriter mandata, quæ à præfectis dantur. Cum præcipitur, ut extendatur acies ſive in longitudidem ſive in latitudinem, vel ut cogatur & contrahatur in denſitatem, vel ut inclinatio fiat in dextram aut ſiniſtram partem, vel ut ordinum commutatio & intervalla ſtationum à viro ad virum fiant, vel ut ſeparatæ ſingulorum agminum denſitates vel raritates, vel ut motui occurſus & diſceſſiones ſive adventantium ſive recedentium ſint, & contuberniorum ſive ordinum inter ſe partitiones, ſeparationes, & inſtructiones fiant.

16. Vel ut phalanx, id eſt, univerſa acies aut in arctum contrahatur, aut in longitudinem producatur, vel ut diſtonios, id eſt, anceps acies fiat, hoc eſt, quando ὄρθιοι, id eſt, cauda- H ni, poſt univerſam aciem converſi adverſus hoſtes, qui circumvallare exercitum conantur, quaſi præſtites pugnant, & à tergo ſimiliter dimidium contubernium ad illos convertunt, vel ut iſtarum commutationum inclinationes & traductiones fiant.

17. Qui ad iſta aſſuefacti ſunt milites, celeriter, ut ita dicam, & ſua ſponte ad aciem hanc feruntur. Qui iſtarum rerum inſueti rudeſque ſunt, magno cum negotio & moleſtia ad imminentia pericula in acie conſtitui poſſunt.

18. Ubi exercitum diviſeris, ſive ferreis armis inter ſe committantur, vel cum haſtis ſine cuſpide, vel ſagittis ſimiliter, vel, ut prædiximus, pro gladiis utantur virgis vel ferulis, vel calamos pro haſtis tradas. Sin glebas habet tellus, in qua exercentur, conjicere eas jubebis in ſe mutuò, inter confligendum: interdum charzaniis vel iis ſimilibus in prælio utantur.

19. Acci-

A 19. Acclives ex illis colles monſtrans, jube, ut cum curſu conſcendant: & in eos qui jam colles occupant, jube alios quosvis milites invadere, qui illos, ſi poſſint, depellant.

20. Ubi milites jam exercueris, illos dimittes, & aliis trades illorum arma, & manentes atque in hac exercitatione ſtrenuè ſe gerentes collaudabis, eos qui ſocorditer & effœminatè ſe gerunt, exacues, & excitabis ad offenſas illorum corrigendas.

21. Talium enim induſtria ac exercitatione non ſolùm ad labores paratior eſt exercitus, verùm etiam ſanitatem meliùs tuetur, & cibo potioneque ſuaviùs fruitur, quanquam vilior ac tenuior fuerit. Et corpus valentius firmiùs habet, ſi ſudoribus, caloribus, apricationibus, frigoribus, tempeſtatibuſque aſſuefactum fuerit.

22. Similiter exercebis equites ad decertationes quaſdam & dimicationes, inſectationes, confligationes, velitationes, & ſagittarum jaculorumque emiſſiones, & quæcumque deinceps tibi fuiſuis exponam.

23. Hæc faciant in locis planis & campeſtribus, & ad mon- B tium pedes, & ad aſpera quoque loca, quantum poſſunt, accedant.

24. Non modò mihi, verùm etiam majoribus noſtris viſum eſt, perneceſſarium eſſe, ut cum in campeſtribus & planis locis ad curſum exerceantur equi, tum etiam in editis & condenſis & aſperis locis, ut hæc loca agmine facto tranſeant, atque etiam ad declivia ſimiliter ſe præparent. Si enim ad hunc modum aſſefacti fuerint, neque homines neque equos ullus locus, vel offendet, vel lædet.

25. Æſtate ne equum ad crebrò bibendum aſſuefacias. Qua de cauſa minùs utile eſt propter fluvium caſtra ponere.

26. Aciem horum inſtruas in aſperis & aviis locis, & cohortem ipſam permittas, ita uti eſt inſtructa, agmine facto ea loca conſcendere, atque iterum deſcendere.

27. Quicumque ſuis equis parcentes iis exercitationibus abſtinent, hi, quantum in ſe eſt, ſuam ipſorum ſalutem produnt.

28. Deinceps par eſt, quanquam verecundè, paucis tamen veterum motus bellicos & præcepta explanare, ut in illis quoque exerceas tuos, & illos tum dicto tum facto ad rem benè gerendam, & rem militarem cognoſcendam excites. Nam po- C ſteaquam unumquemque militem, tum equitem, tum peditem ſeorſum exercueris, unamquamque etiam cohortem, ſive bandum, ſeparatim etiam ad hunc modum exercebis.

29. Cohorte equitum ex ordinibus ſive contuberniis diſpoſitè & ordinatè conſtituta, nartabit mandator imperata illis ad hunc modum.

30. Ubi conflictatio eſt, nullus anticipet, nullus tardet, donec hoſtes tuos perſequaris. Si extra conſpectum frontis exercitus fueris, intuere in cohortem, perſequere, non quaſi ignavus, ſed quaſi fortis miles; neque ullius exhortationis gratia, aut ulla alia de cauſa ceſſes. Cuſtodi miles ſtationem tuam. Obſerva tu ſignifer, ubi hoſtem oppugnaveris, ut eum perſequaris. Si extra conſpectum aciei diſceſſeris, ne vehementer in campo curras, ut ne aciem tuam diſſipes.

31. Cohortis equitum exercitatio per ſe talis eſt, ut ordinatè ſe quaſi in acie moveat, vel curſu ad aliquod ſignum contendat, & ibi conſiſtat: & quando ciere cohortem vis, voce, vel buccina, vel nutu ſtamuli ſignificari oportet, & ſic cieto. Quando autem eos conſiſtere vis, vel voce illis ſignificato, Sta: vel ſicuti ſtridore, vel tuba, quæ nunc buccina vocatur, vel ſtau- D rea. Et hoc unum movendi genus eſt.

32. Aliud movendi genus eſt: inæquabiliter procedant, laxo quodam diſjuncti intervallo, & tum præcipe his verbis: Æqualiter procedite.

33. Aliud genus eſt, ut ad latus idoneè denſentur, & ad caudam ſimiliter denſentur. Hoc verbum σφίγγεσθε, id eſt, denſari ſignificat cogi in unum, ut lateribus, atque humeris propè ad ſe mutuò accedant. Præcipe, ut ad latus ſe denſent decani ad decanos, quintani ad quintanos, quartani ad quartanos, & denſentur omnes, ut dictum eſt, latera lateribus adjungentes: ne qua in alteram partem denſent ſe ad medium ſtatorem, id eſt, ſigniferum, ut hinc atque illinc ei adjungantur: breviter enim & ordinatè talis denſatio fit. Quemadmodum autem decani æqualiter ſe in fronte contubernii collocant, ſic & quartanos ſive caudanos æqualiter ſe in cauda contubernii conſtituere oportet: illis enim ordine & diſpoſitè collocatis, ſi inter confligendum priores ſtationem ſuam deſeruerint, prohibentur tamen ab illis tergiverſari, aut retrò oferri.

34. Aliud genus eſt, quandoin caudam, id eſt, extremam partem denſantur: non modò enim quod ad latitudinem pertinet, denſari acies debet, verùm etiam quod ad altitudinem E ſpectat, ſæpè humeris ipſis inter ſe adjunctis.

35. Alid genus eſt, poſt perfectam ad latus denſationem, ſic denſati ambulent: & quando ſagittæ conjici incipiunt, tum præcipe, πάταξον, id eſt, ferri, Decanis & Quintanis in anteriores partes inclinantibus, ſua ipſorum capita cum ſcutis ſuis, atque equorum colla aliqua ex parte tegentibus, & haſtas humeris geſtantibus, ſcutis etiam teſtas ſui, procedant ordinatè cum tripudio, id eſt mediocri quodam motu, qui culpa dicitur: nec impetuosè currant, ne contentionis celeritate ante manus conferta, quod valdè periculoſum eſt, perturbetur acies, ſagittariis interim, qui à tergo illorum ſunt, ſagittas jacientibus.

36. Aliud genus eſt, ut incurſione interdum perſequantur quaſi curſores, quos nunc proclaſtas nominant: interdum ordinatè in defenſores, quos nunc vindices appellamus: & ſi curſoribus præcipere oportet, dicendum eſt, δρόμῳ ἔλα, id eſt, curſu contende; & unius milliaris ſpatium incurſionem hanc faciant. Sin quaſi defenſores, præcipiendum eſt hoc modo μετὰ τῆς τάξεως ἀκολούθει, id eſt, cum acie procedito, & ordinatè ac diſtributè procedant. F

37. Aliud genus eſt, ut retrocedant paululùm, & rurſus convertantur; & quando illos retrocedere vult, curſor clamet, τύπτε καὶ ὑπεχώρει, ferri, & retrocedere. Ubi autem retroceſſerint ad unum aut alterum ſagittæ jactum, defenſores rurſus appellet his verbis, στρέφε ἔλα, id eſt, verte, contende; & confeſtim rurſus vertent ſe contra hoſtes. Hoc faciant non modò antrorſum, ſed etiam dextrorſum, lævorſum, rurſumque ad ſecundam aciem: neque in ipſa verſione, ſed etiam intervallo interjecto vertant ſe ſæpè, & drungiſti, id eſt, univerſo agmine facto contendant contra hoſtes. Inter exercitandum, haſtas ipſas in altum ſublatas, non in latus obliquatas habere oportet, ne equi in exercitatione hac & contentione impediantur.

38. Aliud genus eſt, ut ordinatè ſe in lævam aut dextram tranſferant, quod lateranis & corniſtitibus opportunum, & commodum eſt, id eſt, iis qui ad circumveniendos, & circumcludendos hoſtes conſtituti ſunt. Et ſi in dextram partem traducere eos cupias, iis verbis fiat, μετάφερε πρὸς τὰ δεξιά, id eſt, transfer te ad dextram; ſin lævorſum velis, tum dicas μετάφερε πρὸς τὰ ἀριστερά, transfer te ad lævam, itaque tranſeant, ſi una G cohors debeat, una; ſin plures, una parte traducta, reliquæ ſimiliter per cohortes tranſeant.

39. Aliud genus eſt, ut in quibus conſiſtunt locis, in eiſdem interdum ſe vertant, interdum verò frontem aciei commutent. Si repentinus aliquis motus retrò fiat hoſtibus è tergo imminentibus, præcipe hoc modo μεταχημάτισον, id eſt convertè, & in ſtatione ſua conſiſtant, ad caudam ſe ſolùm convertant, ſigniferis, & præfectis ſolis ad caudæ frontem pervenientibus. Sin magna vis hoſtium ingruat, tum præcipe μετώπλαξον tranſmuta, & integra tum cohors ſe tranſmutet.

40. Nec verò in longitudinem ſolùm inſtruere utile eſt, ſed etiam drungiſti, id eſt, confertim inſtruantur, ut exerceant ſe & contendant variè in directum per retrogreſſiones & converſiones, per repentinas hoſtium incurſiones, ut quadam cum celeritate poſſint afflictis opem ferre. Si ad hunc modum aſſuefactæ cohortes fuerint, commodè poterunt in curſores, id eſt, proclaſtas ſive propugnatores, & in defenſores, ſive vindices & præſidiarios, ad omnem uſum inſtrui.

41. Talis igitur exercitatio diligenter in plurimis eſt adhibenda, ſiquidem omnia à militibus cognoſcenda non ſunt. Non H enim oportet, omnia in vulgus efferri, ne ab hoſtibus ea cognoſcantur. Iis autem motibus prædictis ad omnes uſus belli cohortes habiles fiunt, ut tum in lateranos, tum in corniſtites, ubi opus eſt, cooptari aſſumique poſſint.

42. Bandę autem ſive cohortes quadam conſenſione & inſtructione quaſi in acie ipſa jungendę ſunt. Sed ut ne univerſę exercitationes & molitiones hoſtibus agnoſcantur, nunquam ante confligationem ipſam univerſæ copiæ ſimul, id eſt, in primam & ſecundam aciem exercitationis cauſa transferantur; vel ad lateranos, vel ad corniſtites, vel ad eos qui drungiſti, id eſt confertim & clam adoriuntur, vel ad occultas inſidias: hujuſmodi enim conſilia imperatoria divulgari, & in vulgus efferri, priuſquam cum hoſte confligas, inutile eſt. Sed ad præſentem rerum uſum ex tempore talia adhibenda ſunt.

43. Par eſt igitur, ſive comitis alicujus bandum, ſive drungus, ſive turma ſeorſum exerceantur, ſive in inſtructione magni exercitus collocentur, ut in tres partes exercendi dividantur. Si bandum, ſive cohors per ſe exerceatur, maximam partem illo-

A illorum in cursorum agmine pones : ex equitatus supplicibus contubernijs hinc atque illinc æqualia cornua defensorum loco pones : alios autem paucos equites eminùs ante conspectum illorum pones, ut quasi ad confligendum cum illis se præparare possint.

44. Jam cum se quasi ad prælium movent, magno impetu facto cursores se ab defensoribus separent, & ubi rectà unum atque alterum milliare excurrerint, dimidium illius spatii revertantur, & interdum dextrorsum, interdum lævorsum se currendo obliquent, sicque tertiò quartòque faciant, rursusque orbiculatè procedant, postea spatium illud percurrentes quod inter eos & defensores est, unde exierant, cum defensoribus quasi instructis in acie iis occurrant, qui ante eos insequebantur.

45. Drungo, id est, integra cohorte milliaria exercitante se idem facies, & cohortem in cursores, & in defensores divides, & eos qui cursores sunt, interdum defensores facias, interdum contra, ut ad omnem usum parati sint.

46. Similiter faciès turma aliqua se exercente, & acie prima aut secunda hoc faciente. Adverte autem potissimùm orbicu- B latas cursorum incursiones, ubi diversa & varia banda sive cohortes fuerint, ut in duas sortes dividantur, & contrario inter se motu currant, & obviam sibi mutuò fiant, altera foris, altera interiùs currendo, ut ne impedimento equitibus sint.

47. Deinde latrones, sive lateranos, & cornistites, id est, eos qui ad circumdandos à dextra parte hostes locantur, separatim cum illis drungisti, id est, confertim & simul incursando exerceas. Sed id prædictis de causis, quantum potest, clanculum facias.

48. Itaque si quasi adversùs aciem hostium eminùs existentem, tuos instruxeris, accura, ut exæquentur illis, & non circumveniantur ab eis. In iis quæ cominùs sunt, perfice, ut hostes à tuis circumdentur, paucis equitibus per simplicia contubernia usque ad unius atque alterius cohortis multitudinem quasi hostibus præpositis, ut adversùm eos se tum ad lunandum, tum ad circumveniendum eos cornistites dirigant. Deinde sic qui cum illis versantur, drungisti quasi maza simul clanculùm ipsi soli de improviso contentione quadam celeri excurrentes, à tergo, id est, postica parte, hostium illos invadant.

49. Hæ igitur exercitationes simplices sunt, communiter C tamen multas cohortes, privatim unamquamque cohortem idoneè exercent, & inimicis acies nostra minimè aperitur. Istæ exercitationum formæ scriptis tradendæ turmarchis tuis sunt, & reliquis cohortibus quæ separatim exercentur.

50. Assuefacito ad hujusmodi exercitationes, non solùm in campestribus, sed etiam in aviis & asperis, in arduis & acclivibus, in declivibus & pronis locis : & ipso æstus squallorisque tempore, utile est ad potentiam laborum exercere milites: nemo enim scit, quo tempore bellum futurum, & quidnam in bello usuventurum sit.

51. Ita exercitatio instituenda, quasi bellum ipsum gereretur. Itaque utilitatis causa ne bellici quidem temporis similitudo prætermittenda est: nam hæc assuefactio periculorum longè robustiores milites facit.

52. Quoniam equestrem exercitationem aliqua ex parte attigimus, sic pedestris aciei exercitationem non prætermittemus, quam vel ex antiquis, vel ex recentioribus rei militaris scriptoribus accepimus.

53. Pedestris aciei primùm conturbernia describantur, quemadmodum antea præcepimus, ut quædam ad lævam, quædam D ad dexteram cohortis, sive præfecti, collocentur: cumque præfectus simul cum signifero, & mandatore, & buccinatore procedit, sequantur, quemadmodum constituti fuerant, lochagi, id est, præstites, & decani sinistri lateris primùm, deinde dextri.

54. Ubi in exercitationis sive instructæ aciei loco fuerint, stet prefectus, & cum eo signifer, & si quis alius cum eo esse consuevit, instruantur que contubernia hinc atque illinc, primùm quemadmodum explicatum antea est, laxiore & rariore intervallo, ut ne à se mutuò affligantur: deinde ad sedecim virorum altitudinem, id est, profunditatem. Cuspides hastarum sursum erectas habeant, ne ab illis impediantur. Ante frontem aciei ambulent mandator & campiductor, id est, dux viarum, hic quidem ut vias indaget & eos ducat, ille verò ut ex imperio præfecti mandata det.

55. Si cohors exercenda sit, cohortis præfectus ante eos cum mandatore & campiductore ambulet. Sin turma exerceatur, nemo ante ambulet, nisi turmarcha & eques cum mandatoribus duobus, & campiductoribus duobus, stratore uno & spathato uno, id est, armigero, qui turmarchæ arma gerit, donec prope conflictationem ipsam venerint copiæ; tum certè ad locum suum, & stationem in cohorte, bando suo tuò E accedat.

56. Neque cum hostibus confligat ille, neque buccina, quamvis complures fuerint, in ullo μέρει, id est, triente, exercitus personet, nisi mer archæ; sive unam turmam triens habeat, sive plures, ut ne tumultu aliquo impediantur mandata exaudire. Et gravis armatura, id est, pedites scutati, ad hunc modum instruuntur.

57. Levis armatura diversis modis instruitur. Qui enim ἀκροβολισται olim, nunc sagittarii nominantur, interdum à tergo uniuscujusque contubernii pro multitudinis ratione collocentur, ut scutatorum singulis contubernii quaternionibus unus sagittarius respondeat. Interdum in ipsa contubernii altitudine scutatus & sagittarius alternatim stent, interdum in contuberniis, & in cornibus, id est, extremis oris copiarum, interiùs equitibus, sæpè etiam exteriùs haud longè cum paucis scutatis ad defendendos interiores equites, si multa levis sit armatura.

58. Qui rhictaria, id est, jacula, vel tzicuria, vel barducia habent, ii vel à tergo scutatorum, vel in extremis oris aciei, & non in medio, locentur. Funditores omnes in extremis oris F aciei. Nunc autem sagittarios reliquosque jaculatores à tergo contuberniorum adversùm eos, qui contraria exercent, vel quemadmodum usus requirit, collocabimus.

59. Equites in ipsis oris aciei pedestris collocabis. Quæcumque autem robustiores cohortes sunt, cum ducibus suis in exteriori loco collocentur. Et si complures equites fuerint, qui duodecim millium numerum excesserint, tum ad decem virorum altitudinem fiant: sin pauciores, ad quinque virorum altitudinem constituantur. Sin autem quidam supra istum numerum, qui ultra currus à tergo in subsidiis locentur, ut si à tergo hostes invaserint, occurrant illi; sin minùs, lateribus adjungantur.

60. Laxiore primùm intervallo instruantur isti, ut si aliqua occasio exercitus commutandi fiat, minimè impediantur.

61. Præcipies equitibus, ne nimis impetuosè currentes in hostes, neque à pedestri acie longo intervallo discedant, ne si fortè insidiæ fiant, & hostes retrò in eos se convertant, pedites horum præsidio destituti, aliquod vulnus accipiant. Si pressi admodùm dissipatique fuerint, tum retrò ad currus suos conservandos, qui à tergo aciei pedestris instructi sunt, se conferant, G nec eos prætereant. Sin ne sic quidem resistere possint, ex equis descendant, & pedibus se ipsos defendant.

62. Si aciem instruere exercitus voluerit, non tamen eo die confligere, si adversarii in equites irruerint, & nequaquam sustinere eos tui potuerint, ne præstolentur eos in aciei cornibus sistendo, sed retrocedant ad extremas oras aciei, & curruum. Quod si fiat, majore intervallo opus est, ut discedentibus jam tum equitibus, cæteri angustiis non nimis premantur, ne hostium sagittis lædantur.

63. Hæc tempora prælii maximè fiant: hac de causa enim hæ exercitationes maximè suscipiuntur.

64. Iis rebus igitur descriptis, præcepta à nobis & institutiones pedestris aciei, quemadmodum & equestris, explicandæ tibi ac proponendæ sunt.

65. Quando ad exercitationem omnes instructæ aciei cohortes convenerint, hæc illis mandator præcipiat: Cum silentio omnes imperata facitote: Ne perturbemini: Stationem vestram servatote: Cohortem sequamini: Nemo cohortem suam deserat: Inimicos persequamini. Hac oratione habita, ita quietè & remissè se movebunt, ut nemo ne susurret quidem. H

66. Exercitandi ad hæc sunt voce, vel nutu, & signo aliquo ut moveant & stent, laxentur, & in altitudinem contuberniorum dividantur, incedant æquabiliter, & ordinatè, in frontem, id est, directè, ac variis modis diversisque se contrahant & densent, tum in longitudinem, tum in altitudinem: pulchrè ambulent, sicque quasi in ipsa prælii acie essent, ad eam formam confligant.

67. Exerceant se quoque ad hunc modum, interdum cum virgis, interdum cum nudis spathis, id est, gladiis: dividantur in diphalangiam, id est, duplicatam aciem, & rursus in pristinam formam redeant: dextrorsum, & lævorsum se obliquent, & in cornu se inflectant, id est, dextrorsum procedant, & rursus pristinam ad formam redeant, & ancipitem aciem instruant, id est, ad accipiendos utrinque hostes paratam, & rursus ad pristinam formam redeant: in dextram, & lævam se transferant, densent se & dilatent, id est, diffundant altitudinem contubernii, à tergo commutentur, & ad pristinam formam redeant. Hæ formæ propter varias circumstantes causas exercendæ sunt.

68. Vo-

A 68. Vocis igitur aut nutus signo aliquo movent, & consistunt. Quando movere eos vult, buccina, vel staurea, vel voce sua significat campiductor, & moventur: quando verò consistere eos vult, tuba, id est, parva buccina, vel voce, & nutu manus significat, & consistunt. Propterea autem voci, & signis assuefaciendi sunt, quia curruum tumultus ingens sæpè, sæpè pulvis, sæpè caligo magna observatur.

69. Attenuantur contubernia, quando sedecim virorum altitudinem habent, & eos in longitudinem aciei potiùs diducere, vel ornatus causa alicujus, vel ut alicui alteri aciei exæquentur, cupis. Præcipies autem iis verbis, ἔξελθε, id est, exeas: & exibunt statim, unus post alterum se separans. Itaque altitudo contuberniorum attenuatur, & longitudini aliquid adjicitur, & altitudo nunc tantummodò virorum octo fit. Si verò quatuor solùm virorum altitudinem vis esse, dic rursus, ἔξελθε, id est, exeas: exibunt omnes in unam solùm partem, dextram aut sinistram. Hoc enim diligenter observandum est, ut omnes unam in partem veniant, & exeant.

70. Jubeantur incedere æquabiliter & inordinatè. Quandoquidem in acie cæteros antevertunt, & inæqualiter eunt, iis B verbis præcipies, ἴσον τὸ μέτωπον, id est, æqualis sit frons; & statim æqualis erit.

71. Contrahitur vel densatur exercitus, quando duobus aut tribus sagittæ jactibus ab hostium copiis cum abest, & frontem utriusque exercitus committere vult, contractum & densatum ad medium locum tum longitudinis tum altitudinis eousque frontem adducit, ut qui in anteriore parte instructi, & qui à lateribus fuerant, intra curuum complexum quasi continentur. Hæc forma potest esse, tum stante, tum movente exercitu.

72. Præcipiendum quoque ὀραγγίου, id est, ultimanis seu candanis, persæpè est: & eos, qui à tergo sunt, impellere oportet, atque ad usum omnem militarem incitare, ut ne aliqui ex illis tardantes omissi sint.

73. Phulcho ambulant, quando junctis copiis hostium simul & nostris, sagittæ conjici incipiunt; & qui in fronte instructi sunt, zabas, loricas, id est, galeas non gestant. Cùm præcipitur illis πύκνωσαι, id est, densato; tum qui in fonte instructi fuerint, pensant scuta sua, donec sibi mutuò appropinquaverint, ventres suos usque ad suras, & genua scutis suis C operientes: qui à tergo illorum stant, scuta sua supra eos traducentes, & in anteriore illorum parte ponentes, pectora & vultus illorum tegunt, sicque cum hostibus conflignnt.

74. Quando autem densata acies ad unius sagittæ jactum ab hostibus adfuerit, & conflictatio futura est, dicito, ἑτοιμοι, id est, parati: alius statim excipiat, & clamet, βοηθῶ, id est, juva: & confertim una claraque voce omnes personent, ὁ Θεὸς, id est, Deus. Ibi dum leves sagittas altiùs conjiciant, Scutati, qui in fronte constituti sunt, ubi propè hostes fuerint, matzucia vel tzicuria vel rhictaria habeant, humiliùs conjiciunt ea; sin minus, præstolantes, donec cominus venerint, & tum jaculantes, vel conjicientes tela, gladios distringant, neque retrocedentibus, & tergiversantibus hostibus, excurrendo, sed in acie consistendo pugnent. Qui à tergo illorum stant, sua ipsorum capita scutis suis tegentes, anterioribus hominibus cum jaculis suis succurrant.

75. Qui in fronte exercitus sunt, sibi ipsis diligenter provideant, donec cominùs ad manus ventum sit, ne si zabas aut chalco tubas, id est, ocreas æneas non habeant, sagittis ab hostibus confodiantur.

D 76. Dividuntur in diphalangiam, id est, duplicatam aciem, quando acies instructa directè ambulat, atque ante hac à tergo imminent hostes: ibi tum si ex sedecim fiat contubernium, & in conspectu fuerint hostes, & cominùs manu confligere voluerint, præcipe, ut per octo se dividant, & octo in diphalangiam statim, id est, duplicatam phalangem, dividantur sicque octo contubernales immoti stabunt, alii octo conversi & moventes se in contrariam partem, ad duplicatam quasi aciem se dividant, reliqui ad octo vel quatuor altitudinem consistent. Illis præcipiendum est, ἐὰν ῥάοι σῶτε οἱ δύτεροι, ἢ οἱ τῆς διφαλαγγίας ἔξελθετε, i. e. firmi state secundi, & in duplicata acie qui estis, exite. Secundi autem sunt qui ἔπεσται, i. e. astites nominantur, qui sub decani potestate sunt. Hi conversi tam prope ad se mutuò accedant, ut paulò ampliùs vestigii intervallo distent, ne utrinque conjectæ ab hostibus sagittæ, terga utrinque spectantium lædant; sed opportuno alio in loco cadant. Deinde sic illis præcipito, ἀποτρέψατε, revertimini: & rursum, si usus fuerit, conversi ad pristinam aciei formam redeant.

77. Si, quemadmodum usu venire plerumque potest, majores hostium copiæ à tergo, id est, post instructam aciem curri- E bus non sequentibus invadant, tum secundi, sive epistatæ, id est, astites, consistant, & primi, sive præstites, qui lochagi nominantur, contra eos eant.

78. Diphalangiæ, id est, duplicatæ aciei usus est, quando currus non sequuntur, vel si sequantur, ab hostibus tamen populantur. Hos autem omninò oportet pedestrem aciem instructam sequi, nisi fortè equestris exercitus cogatur pedibus ire, idque temporis, vel curribus, vel alia quapiam materia à tergo eget.

79. In dextram & lævam partem inclinantur, quando in alteram partem acies obliquatur, vel ut producatur acies, & circumveniat hostes, vel ut ne circumveniatur ab illis, vel propter loci opportunitatem, vel propter loci angusti transitum. Si dextrorsum traducturus aciem es, præcipe his verbis: Ad hastam declina, eòque se armati flectant: deinde præcipe, ὀπτρέψατε, id est, converte te; & ad pristinam formam redibunt. Sin eos ad lævam declinare volueris, præcipe, ἐπὶ κεφαλὴν κλίνασε κίνησον, ad hastam declinans te move: atque hæc petinde ac superiora F faciant.

80. Ἀμφίσημον, id est, anceps motus est, quando inimicis subitò ante & retrò invadentibus, non in diphalangiam, id est, duplicatam aciem copiæ dividuntur. Præcipiet contuberniis, ut stationem suam custodiant, & dimidii contra eos qui primò veniunt, ad standum se aptent, dimidii contra ad tergum conversi. Qui in medio consistunt, capita sua scutis tegant.

81. Dextrorsum aut lævorsum mutantur, quando necessitate hoc postulante, ad dextram, aut lævam transferre vis exercitum. Præcipe his verbis, μετάφερε εἰς τὰ δεξιὰ, id est, transfer te ad dextram: vel rursus, μετάφερε εἰς τὰ ἀριστερὰ, transfer te ad lævam. Una cohorte transeunte, universa acies ad eam partem transeat.

82. Rarefiunt, sive dilatantur acies, quando densatam eam dividere volueris, & juncta contubernia separare, & universas copias in longitudinem producere. Præcipies autem his verbis, πλατύνε πρὸς τὰ ἀμφότερα μέρη, id est, dilata in utramque partem; & diffundantur statim. Hæc forma, tum ambulante, tum stante exercitu, fieri potest duobus cornibus exteriùs nutantibus, sive turma sit, sive exercitus. G

83. Densantur vel duplicantur contubernia, quando ad quatuor virorum altitudinem stant, & duplicare eum numerum vis, & idoneè ad altitudinem contubernii firmare contra hostium aciem, dices, ἔσω θε, id est, ingredere; & statim octo erunt. Sin eos sedecim volueris facere, rursus dices ἔσω θε, & unus post alterum euntes ad suam stationem duplicantur; & fient sedecim altitudine. Ab uno autem latere solùm extant, sicut antea præcepimus. Sin ad triginta duo virorum altitudinem contubernia, quod minimè necesse est, facere vis, prædicito, κίχω σῶ κίχον, id est, manipulus sub manipulo: atque ita duplicantur, & acies ipsa densatur, & longitudo ejus contrahitur.

84. Contrahitur, quando ambulante in directum exercitu, non ante ejus conspectum hostes veniunt, sed à tergo. Tum si frontem, id est, lochagos sive præstites, sedecim virorum altitudine ad caudam sive ultimum agmen transferre cupis, præcipe ad hunc modum, μετάλαξον τὸν τόπον, id est, commuta locum: & altitudinem contubernii transeunti, lochagi sive præstites, compluribus eos sequentibus, frontem novam ex adverso hostium constituant. Hoc ante densationem exercitus sedulò H fiat. Si jam addensatus fuerit exercitus, & hoc quod suprà memoratum est, commodè fieri non potest, dicito, μεταχηματίσον, id est, converte: & quemadmodum ante stabant conversi, solùm ad tergum extremam aciem respiciant, lochago sive præstite in anteriorem partem minimè spectante, sed ultimano jam in fronte constituto, quem ὀραγγὸν, id est, caudanum nominant. Hæ igitur exercitationes, tum ipso belli tempore militem paratum, & idoneum efficere, tum ante tempus belli, sine ferro & armis aliis ad exercitationé idoneis, ad omnes formas bellicorum motuum, & ad omnem institutionem assuefacere possunt. Ingenuè, sine turba & tumultu fiant, divisis sic inter se cohortibus, ut duas sibi mutuò acies oppositas faciant, sive ex una cohorte, sive ex pluribus hæ acies instruantur.

85. Non ignoro autem, alias quasdam præceptiones exercitationesq; motuum scriptis ac litteris esse proditas, tum ab aliis, tum potissimùm ab Æliano & Arriano, quibuscum cæteri quasi una voce consentiunt: sed ne ad nimiam longitudinem producatur oratio, uno quasi capite solùm illa recitabo: de cætero autem propter longitudinem illa eadem prætermittam, partim propter obscuritatem atque inutilitatem, partim quia dili-

A diligenter cognitis, quæ à nobis explicata sunt, experientia quadam adhibita, facilè ista ab eis sumi possunt. Valdè etiam propterea insciti rudesque rerum videremur esse, si hæc quæ cum claritate quadam & perspicuitate exposita sunt, cum obscuritate iterum repeteremus.

86. Ab Æliano autem hæc nomina, & hi motus recensentur, κλίσις, id est, declinatio: hanc autem declinationem in duo dividit, alteram ἐπὶ ἀσπίδα, ad clypeum, sive ad scutum, vel ad lævam: alteram ἐπὶ δόρυ, ad hastam, vel ad dexteram. Alius apud illum motus est, μεταβολὴ, commutatio, conversio, reversio, biflexio; jugare, decuriare, dirigere, evolvere, duplicare. Dicitur etiam, inductio, dextra traductio, obliqua phalanx, recta phalanx, incurva phalanx, interjectio, præpositio, impositio, suppositio, postpositio. Nomina igitur motuum hæc sunt. Præcepta autem illis hæc trade:

1. Ἄγε εἰς τὰ ὅπλα. *Age ad arma.*
2. Παρατῶτε παρὰ τὰ ὅπλα. *Assiste armis.*
3. Ὁ πλοφόρος μὴ ἀπέστω τῆς φάλαγγος. *Armatus ne discedat ab arce.*
4. Σίγα καὶ προσέχε τῷ παραγγελλομένῳ. *Sile & attende*
B *præcipientem.*
5. Κνῶ τὰ δόρατα. *Sursum hastas.*
6. Κάθες τὰ δόρατα. *Demitte hastas.*
7. Οὐραγὸς τὸν λοχὸν ἀπολιώτω. *Vltimanus contubernium dirigat.*
8. Τάττε τὰ διαστήματα. *Custodi intervalla.*
9. Ἐπὶ δόρυ κλίνον. *Ad hastam declina.*
10. Ἐπὶ ἀσπίδα κλίνον. *Ad clypeum declina.*
11. Πρόαγε. *Procede.*
12. Ὅχε ὅτως. *Istuc serva.*
13. Εἰς ὀρθὸν ἀποδῶ. *Directè procede.*
14. Τὸ βάθος διπλασίασε. *Altitudinem duplica.*
15. Ἀποκατάστησον. *Recipe te iterum.*
16. Τὸν λάκωνα ἐπὶ τὸ δόρυ ἐκκύλισον. *Laconicum ad hastam trivolve.*
17. Ἀποκατάστησον. *Recipe te. Cap. 7. rei tacticæ.*

* EXERCITATIO NOBILIUM AC VIRORUM ILLUSTRIUM.

C *Qualis est Torneamentorum.*

Frequens fuit olim exercitatio, plurimùm ad virtutum actiones, studiaque conferens, quam Torneamentorum nomine (alii Trojamenta, ab inventoribus, vocant) appellant. In cujus consortium adscicebantur dumtaxat viri, & genere, & virtute nobiles, certisque legibus, quoad illi incumbebant, constringebantur.

Hujus autem generis Exercitationes ex consilio virorum prudentum, Henricus I. Auceps, Imperator LXXXVII. exhibuit, primùm nationi Germanicæ Mardeburgi, & ad excitandos nobilium animos ad studium virtutis, & laudis, celebrari imposterum voluit, atque has conditiones adjecit.

1. Ne collegio huic accedere permitteretur, qui Christianæ Religionis prævaricator, aut hostis esset.
2. Qui contra Cæs. Majestatem, & Imperium peccasset.
3. Qui virginem vitiasset, aut viduam oppressisset.
4. Qui juramenta, chirographa, & pacta, manu subscripta, sigillisque confirmata, violare aut negare consuevisset.
5. Qui prodidisset dominum suum, eumve deseruisset in
D castris, & militia; vel auctor fuisset daræ in prælio fugæ, suosque subditos injuriosè prægravasset, pressisset aut interemisset.
6. Qui homicidium commisisset.
7. Qui templa expilasset, aut viduas, & pupillos deprædatus fuisset, vel molestasset.
8. Qui latro, pirata, prædator, vel sicarius esset.
9. Qui auctor novorum vectigalium, aliorumque Reipub. gravaminum, & incommoditatum extitisset.
10. Qui adulter, vel mœchator esset.
11. Qui fœnerator, mœchator, seu artifex manuarius foret.
12. Qui nobilitatis testimonium non à quanto progenitore haberet.

TORNEAMENTA CELEBRATA, E
OBITA.

Fuerunt autem celebrata hæc, quæ sequuntur, torneamenta in Germania.

I. Magdeburgi ab Henrico Aucupe Imperatore Romano, anno post natum Christum 390.

II. Rotemburgi ad Tuberim, à Conrado Duce Francorum, anno 942.

III. Constantiæ, ad lacum Bodamicum, à Duce Rodulpho de Suevia & Alemannia, anno 948.

IV. Menesburgi à Marchione Ridaco de Misnia, Comite Meresburgico, anno 968.

V. Braunsuvige à Marchione Ludolpho de Saxonia, Domino in Braunsvvig, anno 966.

VI. Treviræ ab Imperatore Romano Conrado II. anno 1019.

VII. Halæ in Saxonia ab Imperatore Henrico III. anno 1042.

VIII. Augustæ Vindelicorum ab Hermano Duce Suevorum, anno 1080.

IX. Gottingæ in Saxonia, à Comite Suppemgebungi, anno F
1119.

X. Tinguri, quod vocant vulgari lingua, *an derlindmat*, à VVelpho Duce in Bavaria, & Spolenti, Marchione Corsiæ, Domino Sardiniæ, filio Ducis VVelphi III. splendidissimè, anno 1165.

XI. Coloniæ Agrippinæ ad Rhenum, à Florente Comite in Holland, & Sceland, anno 1179.

XII. Noribergæ ab Henrico VI. Imperatore laudatissimè, anno 1197.

XIII. VVormatiæ ad Rhenum ab Equitibus Rheni, anno 1209.

XIV. VVirtzbusgi ad Mœnum in Franconia Orientali ab Equitibus Franconiæ, anno 1235.

XV. Ratisbonæ ad Danubium ab Equitibus Bavariæ, anno 1284.

XVI. Suuinforti ad Mœnum ab equitibus Franconiæ, anno 1269.

XVII. Ravenspurgi Suevorum ab Equitibus Sueviæ, anno 1311.

XVIII. Ingelnhemii ad Rhenum ab equitibus Rheni, an- G
no 1337.

XIX. Bambergæ in Franconia Orientali ad Rheduisum, ab equitibus in Franconia, anno 1362.

XX. Essingæ ad Nicrum ab equitibus Sueviæ, anno 1374.

XXI. Scafshusii ad Rhenum ab equitibus Sueviæ, anno 1392.

XXII. Ratisbonæ ad Danubium ab equitibus Bavariæ, anno 1396.

XXIII. Darmostadii ad Rhenum ab equitibus Rheni, anno 1403.

XXIV. Halibtunnæ ad Neccarum ab equitibus Sueviæ, anno 1408.

XXV. Ratisbonæ ad Danubium ab equitibus Bavariæ, anno 1412.

XXVI. Stutgardiæ in Suevia ab Ulrico Comite in VVirtemberg, & Mumpelgard, anno 1436.

XXVII. Landeshuti Bojorum ad Iserim à Ludovico Divite, Comite Palatini ad Rhenum, Duce Bavariæ superioris, & inferioris, anno 1439.

XXVIII. VVirtemburgi ad Mœnum ab equitibus Franco- H
niæ, anno 1479.

XXIX. Moguntiæ ad Rhenum ab equitibus Rheni, anno 1480.

XXX. Heidelbergæ in Palatinatu ab equitibus Rheni, anno 1481.

XXXI. Stutgardiæ in VVirtemberg ab equitibus Sueviæ, & Eberhardo Comite VVirtembergico, anno 1484.

XXXII. Ingolstadii ad Istrum in Bojaria ab equitibus Franconiæ, anno 1484.

XXXIII. Onolsobaci Noricorum ab equitibus Franconiæ, & Alberto Marchione Brandeburgico, anno 1485.

XXXIV. Bambergæ ad Rhednisum ab equitibus Franconiæ, laudabilis Societatis Unicornis, anno 1486.

XXXV. Ratisbonæ Bojorum ab equitibus Bavariæ, anno 1487.

XXXVI. VVormatiæ ad Rhenum ab equitibus Rheni, anno 1487.

Neque inveniuntur post hoc tempus istiusmodi exercitia celebrata fuisse.

* LU-

A

* LUDI EQUESTRES, PALARIA, HASTILUDIA.

Sunt & alia exercitiorum genera, viris nobilioribus, & ingenuis usitata. Quorum alia, Palaria veteres, teste Vegetio, appellabant; quorum etiam ritum describit. Pali, inquit, in terram figebantur, ut nutare non possent, sex pedibus ad viri staturam eminentes: cum palum cominùs sudibus, eminùs missilibus feriebant. Meminit etiam hujus prolusionis militaris *Godofcalcus Stevvechius comment. in Vegetium.*

Cæterùm pali locum vicemque subiisse imaginem ligneam versatilem, & armatam conto vel clava, Volaterranus testatur, quod qui currendo ictu rectiùs destinato feriret, cursu equi velociore, & plures lanceas frangeret, illi palma cum plausu dabatur. Pedestrem hanc primiùs exercitationem fuisse, & ὁπλομαχίαν ad equites transvivisse, arbitrantur alii. Exhibiti fuere similes ludi Archiduci Ernesto, dum Antverpiæ inaugura-
B retur Belgicarum Prov. Gubernat.

Erant & ludi equestres alterius generis, in quibus equites certo spatio pendentem annulum cursu velocissimo lancea impetebant; cujus orbem qui lancea excipiebat, plausum adstantium, & præmium referebat. Hujusmodi etiam ludi, magno apparatu, & sumptu ingenti, exhibiti fuere anno 1594. Antverpiæ, in celebri inauguratione Ernesti Austrii, ipso etiam Principe personam suam egregiè sustinente. Erat area isti exercitio aptata loco qui in ea civitate celeberrimus, & Pontis Marini nomen habet; cujus latitudo erat pedum 43. longitudo 350. undequaque cincta, & porticibus ac fastigiis insignita.

Equites omnes cum ipso Archiduce, ac Proceribus, tum exteris, tum indigenis, habitu personato & legali induebantur, sic tamen ut illustriores usitatum coloris symbolum deferrent, quo à reliquis dignoscerentur. Videre hic erat manipulos Æthiopum cum suo Rege Hexaphoro in solio sedente, ingentemque turbam cujusvis ætatis & sexus Æthiopum, partim nativa, partim inducta nigredine splendescentium. Aderant turmæ Asiaticis tunicis contectæ, plerisque & hastilibus Amazo-
C nes armatæ, cum Regina tres equites captivos in pompam trahente. Post has sex Belgicæ nobilitatis proceres Argonautico vellere decorati, pompam amœno spectaculo auxere. Nam ex opere plumali sive Brasiliano universi operiebantur, insigni plumarum intextarum artificio, speculisque in clypeorum umbonibus latè radiantibus. Nec deerat piscatorum equestrium ordo personatus, & Germaniæ Principum legatis collectus. Porrò ad scenæ jocique supplementum, aderant Sanniones equites, ex comicis & circumforaneis Italorum, sive mavis Parasitis; quorum actio risum concitabat. Reliqui omnes auro & argento fulgebant: unicuique autem in hoc stadio ter erat decurrendum, toties Principi præcurrendum, qui equo incitato annulum primo cursu tetigit, altero hasta transfixit, victorque omnium plausu evasit.

* EXERCITIA, LUDI CLASSICI, NAVALES.

Etiam mare sua exhibet spectacula, dum nautæ & classiarii in eo exercentur: Ludi in eo varii; vel enim duo aut plures na-
D tandi periti, in extrema scaphæ puppi, cymbis adverso remigio collisis, invicem hasta petunt, sic ut alteri, vel utrique cedendum sit, & enatandum: vel è duobus navigiis in anchoras fixis, funis, & ex eo anser, aut anguilla suspenditur, qui detrahendi ab illo, qui in scaphæ puppi constitutus, veloci remigio transvehitur. Si errat, aut bestiam non satis stringit, in aquas excutitur: si detrahit, victor evadit. ☞ *Vide de Ludis multa.*

EXERCITIA INTERMISSA, NEGLECTA.

QUÆ.

Gymnica.

Ægyptii palæstræ non vacant, existimantes, quotidianum illius exercitium junioribus non sanitatem allaturum esse, sed breve robur, & omninò periculosum. *Diod. l. 1. c. 6.*

Asclepiades, cui accedit ferè Erasistratus, tollit exercitationes, ac liquidò damnat: cæteris medicæ scientiæ peritissimis mirificè approbantibus. *Cælius l. 11. cap. 3. A. L. ex Galeno.*

* *Torneamenta.*

Desierunt ab anno 1487. in Germania, & alibi, Torneamentorum exercitia; idque non sine plurimorum nobilium do- E
lore, qui eam virtutem, & laudem palestra sibi ereptam indignantur.

Mechanica.

Socrates dicebat, sororem libertatis esse pigritiam. Etenim Ludos, & Persas propter libertatem segnissimos esse ad laborandum: Phrygas verò & Lydos servitute pressos, promptissimos. *Aelianus de varia historia lib. 10.*

CUR. CAUSA.

Religionis.

Conditor rerum omnium Deus, in hebdomada septimum quiescere Mortales diem jussit, ut eo exemplo doceret, post certa spatia, animi atque corporis in labore interlaxamentum quærendum esse, ob id præcipuè, ut cùm ejus cultui operam dantes, agendarum pro tot ejus meritis gratiarum non immemores simus: tum postea, ut etiam salutari hoc exemplo doceamur, longos labores, ut leviores fiant, intermissione aliquando oportere leniri: ut per hunc modum instauratis viribus, promptiores animo corporeque ad novos perferendos la-
bores reddamur. F

Militaris disciplinæ.

Lacedæmonii, Persæ, Indi, & quævis aliæ gentes, quamprimùm bellicis victoriis clarescere cœperunt, ab exercitiis mechanicis ad militares exercitationes, earumdemque veluti præludia gymnyca, sese contulere.

Luxus.

Sibaritæ eò usque provecti sunt mollitiei, ut non modò strepitum artificum, quo somnus matutinus interrumperetur, ferre nollent, eòque mechanicos omnes urbe ejicerent: verùm etiam neque aspectum eorum, qui opus facerent, tolerare possent, ut saltem se absque molestia intueri non posse simularent: indigni, qui alimentis sudore rustico comparatis fruerentur.

EXERCITATIO EORUM QUÆ ADSUNT CUJUSMODI EST

MEDITATIO, CONTEMPLATIO

Aliqua.

☞ *Vide Titulum Dictio, Diligens.* G

NULLA.

☞ *Consule Tit. Dictio, Scriptio extemporanea.*

EXERCITATIO EXIMIE DICTA.

Exerceri secundùm

ANIMUM. VERBI GRATIA

Declamando.

Demosthenes cùm sibi non tam artem, quàm actionem & pronunciationem deesse animadverteret, subterraneum locum domi suæ ædificavit, in quem singulis diebus descendit, actionis formandæ, vocisque componendæ causa: sæpè etiam duos aut tres menses continuos ibi egit, rasa altera capitis parte, ut ne si vellet quidem, egredi inde præ verecundia posset. *Aelian. lib. 7. Variæ hist. & Plut. in Demost.*

Disputando.

Menedemus Eretriensis, Platonis primùm, inde Stilponis discipulus, in disputando tam acris erat, ut oculis ardere videre- H
tur. *Laert. lib. 2.*

Baldus, Bononiam profitendi juris causa profectus, anno 1344. publicè etiam disputavit ibi cum Bartolo per quinque horas integras, & victor abiit.

Galenus Pergamenus annum agens ætatis decimum nonum, doctorem quendam ex Athenæi Attalei sectatoribus, primas qualitates elementa esse statuentis, suis interrogationibus ad elenchum coegit. *Galen. de Elem. lib. 1. c. 6.*

Pugnando.

Dominus in terra Sancta multas gentes infideles Chananeorum ab Israelitis relinqui voluit, ne ab hoste externo securi, in se mutuò arma verterent; sed haberent, quorum perfidiam metuentes, in officio veraque religione & bellica fortitudine persisterent. *Iudicum 3.*

CORPUS.

In Elide septum est, quod xystus in eo appellatur, quòd Hercules Amphitryonis filius, ad laborum patientiam quotidianis exercitationibus se confirmans, sentes omnes, qui pullularent eo in loco, vellere, ac eradicare sit solitus. *Paus. l. 6.*

Ly-

A Lycurgus requirenti, Cur corpora virginum cursu, lucta discorum, & jaculorum jactu subigeret: Ut, inquit, fœtuum radix validum in valentibus corporibus exordium accipiens, benè germinet: & ipsæ strenuè partus subeuntes, facilè simul & benè adversùs puerperii decertent dolores: ac si qua incumbat necessitas, valeant pro sua, liberorum, & patriæ salute pugnare. *Plut. in Apophtheg.*

Epaminondas ephebus factus, ubi palestræ dare operam cœpit, non tam magnitudini virium servivit, quàm velocitati: illam enim ad athletarum usum, hanc ad belli existimabat utilitatem pertinere. Itaque exercebatur plurimùm currendo & luctando, ad eum finem, quoad stans complecti posset, atque contendere, in armis plurimum studii consumebat. *Probus in Epaminonda.*

Socrates usque ad vesperum contentiùs interdum ambulasse dicitur; interrogatus autem, cur id faceret: Quò meliùs cœnaret, obsonati inambulando, respondit. *Platina l.2. de optimo cive.*

Alexander Macedo, etiamnum puer, interrogatus, Utrum in arenam descendere vellet? Perlibenter, respondit, si reges B antagonistas habiturus essem. *Plut. in Alexand.*

Terentianus Afer Olympionicæ cujusdam jam senio confecti in corpore domi exercendo commeatum hisce verbis explicat:

Nervis mollibus invicem
Junctis in teretem struem,
(Ceu Parthus solet aut Scythus
Arcas cornibus extimis
Levem nectere lineam)
Talem assiduè ligat,
Dum sic funiculi nodus
Aptus quiputeo foret.
Haustos hinc igitur cados
Imis à tenebris aquæ
Tam filo tenui trahens.
Quod stringi neque at vola,
Nisus undique corporis
Summos in digitos agit:
Augustoque tenaculo
(Donec lubrica sarcinæ
C *Tanti per spatium cavi*
In lucem superam exeat)
Alterna vice pollicum
Certat vincere ponderis
In præceps facilem fugam.
Nil magnum gerere hunc putes,
Et tantum in digitis opus:
Cunctis visceribus tamen
Occultus trepidat labor:
Totum cernere palam,
Quo totum geritur, queas.
Cætis flatibus intimi
Tenduntur laterum sinus:
Et poples tremit, & genu:
Nec plantæ stabiles manent:
Nil immune relinquitur,
Et parva est via viribus.
Mos certaminis, & modus,
Sudor dum solitus cauit,
Nulla mole palæstrica.

D DISPUTATIO.

☞ *Consule Tit. Logicorum.*

Q. Cæcilius Epirota, Grammaticus, post mortem Cornelii Galli scholam Romæ aperuit, primusque ex tempore Latinè disputavit: primus etiam Virgilium & alios poetas novos prælegere cœpit. *Tranquillus de illustr. Grammat.*

* APOPHTHEGMATA.

Diogenes dicebat, usum atque exercitationem, quemadmodum in actionibus extraneis, ita & in actionibus virtutis & animi, cum celeritatem quandam, tum facilitatem parere. *Laert. lib.9.*

Aristoteles frequenter dicere solebat, ad parandam sapientiam tria potissimùm necessaria esse: Naturam, doctrinam, & exercitationem: Exercitatio enim nisi naturæ, & doctrinæ accedat, nil solidæ eruditionis hauries. *Laert. l.5.c.1.*

Demonax quendam infeliciter declamantem admonuit, ut sese diligenter exerceret: cumque is respondisset: Nunquam apud me non declamo: Nihil igitur mirum, inquit, si dicis ineptè, qui hactenùs semper stulto auditore solitus sis uti. *Erasm. lib.8. Apoph.*

Cicero, cùm M. Crassum pro rostris magno populi applausu laudasset, & eundem postea ex eodem loco acribus conviciis incesseret: Quid, ait Crassus; an non me nuper ex hoc ipso loco laudastis? Laudavi, inquit, sed exercendi gratia, argumentum insame declamans: Solent enim Rhetores tractare materias ἀδόξας, velut cum laudant Busiridem, aut febrim quartanam, aut ingratitudinem. *Erasm. lib.4. Apoph.*

Socrates dicere solitus est, saltatione moventi corpus spatiosa domo opus esse ad exercendum sese: at qui cantu aut oratione sese exerceat, huic vel stanti, vel accumbenti quemvis locum sufficere. Hoc dicto probabat moderatas exercitationes, præsertim à cibo sumpto: turbulentiores improbabat. *Erasm. lib.3. Apoph.*

Plato solebat admonere, ut neque corpus sine animo exerceamus, neque animum sine corpore, ut pariter utriusque curam habeamus. Nam alterum athletarum est, alterum inertium. *Laert. lib.3.*

Quoniam apud Lacedæmonios in summo pretio erat jus, quod illi nigrum appellant, adeò ut seniores hoc contenti F non desiderarent carnes, sed eas juvenibus cederent; Dionysius Siciliæ tyrannus dicitur hujus gratia coquum emisse Laconium, eique mandasse, ut sibi hoc jus appararet, nullis parcens impendiis. Quod ubi rex gustasset, ac displicuisset, expuit. Tum coquus: Hoc, inquit, jus, ò rex, sumendum, postquam te Laconum more exercueris, & in Eurota laveris. *Plut. in Lacon.*

JUCUNDITAS EXERCITATIONIS
Exercitationi
Adjuncta.

VOLUPTAS.

☞ *Consule sub loco Alacritatis, Somni, & Morborum, & Cibi neglectus. Illic Studium, hic Voluptas comitans perpenditur.*

Voluptates ex geometria, astrologia, & musica, acribus prediræ, & multiplicibus illecebris, nullis blandimentis cedunt trahuntque diagrammatibus quasi incantamentis. Quas qui G gustavit, modò in eis excitatus sit, is hæc Sophoclis cantaverit inambulans:

Raptus furore musarum ad collum usque suum,
Accedo vertoque, & ex lyra, & carminibus.

Non philosophatus est circa alia Thamyras, nec herclè Eudoxus, & Archimedes. Quando enim studiosi pictores usque adeò ducuntur operum gratia, ut Nicias, dum pingebat Necyam, rogare subinde ministros, Pransus ne esset? ac cùm rex Ptolemæus sexaginta talenta ei absoluta pictura misisset, non acciperet ea, neque venundaret illud opus. Quas censetis, & quantas ex geometria voluptates collegisse, atque ab astrologia Euclidem, cùm diotica scriberet, & cùm demonstrationes de figura lunæ texeret: Philippum, & Archimedem, cùm invenisset ex angulo diametrum Solis tantam esse maximi circuli partem, quanta est quatuor rectarum linearum: item Apollonium, & Aristarchum aliorum inventores similium: quorum nunc aspectus, & cognitio delectationes ingentes, & mirificos spiritus discentibus infundit? Est autem prorsus indignum, culinarum prostibulorumque voluptates illas cum hisce componentem dehonestare Heliconem, & Musas: H

Vbi pascere haud velit suum pastor pecus,
Ferrum neque unquam pervenit.

Sed sunt hæc reverà pascua apum intemerata: porcorum illa & hircorum pruritus imitantur, quæ animi partem perturbationibus patentem explent. Est quidem varia, & procax libido: nunquam tamen, qui amicam fuit complexus, quisquam præ gaudio bovem immolavit: neque optavit distentus dapibus vel bellariis regalibus extemplò emori. At Eudoxus, si soli astans formam hujus sideris percipere, magnitudinemque ejus & speciem posset, optavit sicut Phaeton conflagrare. Pythagoras etiam causa diagrammatis bovem Musis immolavit, ut est auctor Appollodorus:

Nobile repertum simul ac diagramma fuisset,
Pythagoras superis pinguia sacra tulit.

Sive id de hypotenusa fuerit (ea linea est trigoni orthogoni, quæ utraque latera recti anguli complectitur, quòd æqualis ambabus illis, quæ rectum illum angulum continent, de qua penultimum est theorema primo Elementorum libro;) sive propositio fuerit de circumeunte aream coni linea. *Vitruvius lib.9. cap.2.* hoc normæ inventæ tribuit. Archimedem vi à formis abstrahentes ungebant ministri. Hic verò in ventre figuras

A guras strigili delineabat: atque inter lavandum, ut ajunt, ex infusa aqua coronæ modum cùm animadvertisset, quasi fanaticus & numine quodam afflatus, exiliit clamans, Inveni: idque inter cunctum crebrò repetiit. Enimverò helluonem, qui animo commotus, Comedi, exclamaret, neminem ullum audivimus: neque amatorem, qui, Suaviatus sum: cùm infiniti salaces fuerint & sint: sed veniunt nobis odio ii, qui majore animi motu cœnarum meminerint, tanquam in voluptatibus minutis & vilibus plus satis acquiescentes. At cum Eudoxo, Archimede & Hipparcho eximus de potestate, credimusque Platoni, quòd disciplinæ mathematicæ, quamvis negligantur per ignorantiam & inertiam, vitamen assurgant oblectationis gratia. *Plut. contra Epicurum.*

Thales Milesius cùm trianguli in circulo inscriptionem invenisset, bovem diis immolavit. Eadem lætitia gestiens in Perseo fuit, ob helicum inventionem dæmonas propitiante.

Eratosthenes inventam cubi duplicationem velut anathema sacrum in deorum templum suspendit.

Canus fistulator, nescire dicebat homines, quando plus se cùm tibia caneret, quàm alios demulceret: fore enim, ut qui B audire vellent, postulaturi essent, non daturi, mercedem. *Plut. An seni tractandaresp.*

Plinius lib.35. & Plut. An seni tract. resp. commemorant Niciam pictorem tantoperè pingendi studio delectatum, ut dum Necyam pingeret, sæpè interrogavit servos, an prandere it. Missa ad eum à Ptolemæo rege, ut eam traderet, LX. talenta accipere noluit.

D. Bernardus contemplationis divinæ delicias postponit utilitati fratrum suorum, *serm.51. in Cantic.* Si quando sanè comperi profecisse aliquos vestrum ex meis monitis, tunc non me piguit, fateor, curam prætulisse sermonis proprio otio & quieti. Cùm enim (verbi gratia) post sermonem iracundus quispiam reperitur mutatus in mitem, superbus in humilem, pusillanimis in fortem: porrò mitis, humilis, fortis, in sua quisque gratia excrevisse, & seipso melior factus esse agnoscitur: sed & qui fortè tepuerant & languebant, circa spirituale studium torpentes & dormitantes, ad ignitum eloquium Domini reserbuisse & evigilasse videntur: & qui deserto fonte sapientiæ, foderant sibi propriæ voluntatis cisternas, non valentes aquas continere, propterea que ad omne injunctum gravati C corde arido murmurabant, nullum in se habentes devotionis humorem: hi, inquam, cùm de rore verbi, & pluvia voluntaria, quam segregavit Deus hæreditati suæ, reflorusse probantur in opera obedientiæ, facti in omnibus voluntarii & devoti, non est (dico vobis) unde subeat mentem, quasi pro intermisso studio jucundæ contemplationis, tristitia, cum talibus fuero circumdatus floribus atque fructibus pietatis. Patienter avellor ab insecundæ Rachelis amplexibus, ut de Lya mihi exuberent fructus profectuum vestrorum. Minimè prorsus pigebit me intermissæ quietis pro cura sermonis, cùm videro in vobis germinare semen meum, atque ex eo augeri incrementa frugum justitiæ vestræ. Charitas enim quæ non quærit quæ sua sunt, id mihi jamdudum facilè persuasit; nil scilicet desiderabilium meorum vestris præferre utilitatibus. Orare, legere, scribere, meditari, & si quæ sunt alia spiritualis studii lucra, hæc arbitratus sum propter vos detrimenta.

MOLESTIA.

Archimedes mathematicæ contemplationi ita indulgebat, D ut mechanicam exercitationem, in qua tamen citra controversiam excellentissimus erat, (id quòd præclara ejus opera contra Romanos ostenderunt) summo prolequeretur odio; nec nisi coactus ad eam descenderet, quòd pulcherrimam & divinam scientiam operibus evulgatis prostitui crederet. *Plut. in Marcello.* Rectiùs Socrates, qui scientiarum eos demum fructus præstantissimos esse putabat, *teste Xenophonte in Memorab.* cùm in medium hominum vitam opus aliquod utile, ceu coloniam deduxissent.

Philippus castra loco commodo metaturus, ut audivit, non esse ibi jumentis pabuli copiam: Quæ est, inquit, ò dii immortales, vita nostra, si etiam ea ad asinorum est tempora accommodanda? *Plut. An seni tract. resp.*

Seleucus rex dicere solebat: Si sciret vulgus, scribere solùm tam multas epistolas ac legere, quanti laboris sit, nollet in terram abjectum tollere diadema. *Plut. An seni tract. resp.*

☞ *Consule Tit. de Imperio, Regno, Pontificibus, &c.*

E

Exercitus.

☞ *Consule Locum de Bello & de Bellica Politia, ubi multa ad hunc titulum spectantia.*

EXERCITUS NUMEROSI.

Pete ex tit. de Ditiitiis, §. Militum possessio.

Exilium, Exules.

* DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

Exilium Græcè φυγὴ, quasi extra solum natale ejectio. Sceleratorum pœna est, & non nisi nocenti infligitur. Innocens exilium pati non potest. Confirmant id sententiæ, quas ex Cicerone adduximus, qui ita scribit:

Omnes scelerati & impii, quos leges exilio affici volunt, exules sunt, etsi solum non mutant. *Parad.4.*

Exilium terribile est iis, quibus quasi conscriptus est habi- F tandi locus, non iis qui omnem orbem terrarum, unam urbem esse dicunt. *Ibid.*

Si abesse à patria miserum est, plenæ miserorum sunt provinciæ, ex quibus admodùm pauci in patriam revertuntur. *1. Tusc.*

Ad omnem rationem Teucri vox accommodari potest: Patria est, ubicumque benè est. *5. Tusc.*

Exilium, non supplicium est, sed perfugium, portusque supplicii; nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere aut calamitatem, ei solum vertunt, hoc est, sedem ac locum mutant; qui si in civitate legis vim subire vellent, non priùs civitatem quàm vitam amitterent: quia nolunt, non adimitur iis civitas, sed ab iis relinquitur, atque deponitur. *Pro Cæcin.*

Exilium id quod fit propter alienam & offensam populi voluntatem, malum est. *1. Tusc.*

QUOTUPLEX.

Exilii apud Rom. triplex genus erat, auctore *Martiano.* Aut enim omnium locorum interdicebatur accessus, præter unum: aut in insulam deportabatur: aut, sicut Claudius Cæsar quosdam mulctasse dicitur, ultra tertium lapidem ab urbe egredi G vetabatur. Tandem Claudius Cæsar legem sanxit, ut hi, quibus provincia interdictum esset, urbe quoque summoverentur. *Alex. lib.3.c.20.*

Ita S. Joannes à Domitiano Cæs. in insulam Pathmos, quæ Plinio Palmatia: Ovidius Poeta ab Augusto ad Sauromatas & Scythas relegatus legitur. S. Chrysostomus quoque in exilium ab Eudoxia pulsus: uti & S. Thomas Cantuariensis ex Anglia ab Hentico rege. Alibi alii. ☞ *Vide exempla infrà scripta.*

In Seripho Insula, & apud nonnullas circa Caucasum gentes, pro criminibus maximis nullum morte affici, sed exilio mulctari, urbeque & agro exterminari, legimus. *Alex. l.3. cap.5.*

* EXEMPLA ET APOPHTHEGMATA.

Hercules interrogatus, Argivusne esset, an Thebanus? respondit: Non unam curo patriam jactare: omnis Græcia mihi patria est. *Plut. de exilio.*

Democritus dicebat, peregrinationem & exilium vitæ fragilitatem docere: ossa quippè, & thorus herbaceus, famis ac laboris sunt medelæ dulcissimæ. *Stob. serm.28.*

Idem quamlibet terram homini sapienti dicebat esse per- H viam, quum fortis animæ mundus universus patria sit. *Eodem sermone.*

Demaratus ad eum qui apud Regem Persarum parasitum agebat, ac subinde in Demarati exilium dicteriis ludebat: Non, inquit, amice tecum pugnaturus sum, nam vitæ aciem absumpsi. Ludens ex ambiguitate vocis, τάξις enim Græcè tum ordinem sonat, tum aciem. Nullus autem ad pugnam instructus est, cui nulla superest acies: & ordinem vitæ assumpsit qui ex rege factus est exul. *Plut. in Lacon.*

Cùm Alexander in Olympiis præconio jus fecisset omnibus exulibus, in suam cuique patriam redeundi, præterquam Thebanis: Infortunatum quidem, inquit, Eudamida, præconium; sed vobis, ò Thebani, gloriosum: Solos enim vos metuit Alexander. Ad consolandos Thebanos sic interpretatus est vir animi fortis. Etenim qui permittit exulibus reditum in suam patriam, non metuit, ne moliantur vindictam. A Thebanis igitur solis metuebat. *Plut. in Lacon. Apoph.*

C A-

A CARO cum impetrata esset restitutio Achæorum exulum, Polybius & hoc è senatu petiit, ut restitutis apud suos pristini honores ac magistratus redderentur. Hic Caro rogatus sententiam dixit: Polybius idem facere videtur, quod fecit UlyssES, qui Cyclopis speluncam repetere voluit, quo pileum & cingulum, quæ illic per oblivionem reliquerat, reciperet. Significans, abiundè multum esse, quòd exulibus datus esset in patriam reditus: esseque periculum, ne dum pristinos honores repetunt, etiam à reditu excludantur. *Erasm. Rot. lib.5. Apoph.*

Quidam offensus libertate Diogenis, dixit illi: Quoniam istis eras moribus, patria te ejecit. Sanè, inquit, quòd me, ut Semele Bacchum, ferre non posset. Sentiens, se majorem esse, quàm ut à malis ferri posset; à quibus tamen non tam suo quàm ipsorum malo pulsus esset. *Plut. in Apoph.*

STRATONICUS Musicus, Seriphia gens, hospitem suum percontatus est, ob quam causam illic homines juberentur vertere solum? Cùm ille respondisset, flagitiosos apud Seriphios exilio mulctari. Quin tu quoque, inquit, aliquid flagitii committis, ut ex his locorum angustiis emigres? Notans regionem esse incommodam, & oppidum frigidum. *Erasm.lib.6. Apoph. ex Plut.*

ARISTIDES ab amico quodam rogatus, quam ob causam exilium ei tam molestum fuisset? respondit, propter ignominiam patriæ, à qua injustè in exilium missus esset, quæ ob eam injustitiam ubique malè & ab omnibus audiret. *Stobæus ex Serino serm.37.*

ANAXAGORAS ab Atheniensibus damnatus exilio, & cuidam dicenti: Privatus es Atheniensibus: Imò illi, inquit, me: Sentiens, Atheniensibus magis opus esse Anaxagora, quàm contra. *Laert.lib.2.cap.3.*

STILPO cuidam noxium esse exilium affirmanti, respondisse fertur. Quibus tandem, & qualibus bonis privat exilium, animine, an corporis, an fortunæ? An judicandi agendique dexteritatem, aut felicitatem auferet? Haud sanè. An fortitudine, aut alia quapiam virtute privat? Ne id quidem. Sed nec ullo fraudat corporis bono. An non æquè licet in aliena terra benè valere, viribus pollere, acutum cernere, & audire acutè, interdum verò multò magis, quàm si in sua terra quis maneat, fortunæ verò bonis exilium neminem exuit? An non visum est multos, tum demum, cùm exules sunt facti, potitos fortunæ bonis splendidioribus? ut Phœnix, Themistocles, &c. *Stob. serm.38.*

DIOGENES cuidam per convitium dicenti, Sinopenses te exilio damnarunt: At ego, inquit, illos mansione. Significans, se quòd solum vertere juberetur, nihilo infeliciorem esse his, qui in patria manerent, nec exilium æquo animo pati possent. Tam enim miserum est manere coactum, quàm exulare coactum. Philosophus, cui quævis terra patria est, si jubeatur ire exulatum, unius tantùm civitatis exul est. At qui nusquam potest vivere, nisi in patria, plurimarum regionum exul est. Hoc ita refert *Plutarchus in libello de exilio*: Te Sinopenses Ponto exulem esse jusserunt. At ego, inquit, illos hac damno pœna, ut in Ponto extremisque Euxini littoribus inclusi perpetuò maneant. Diogenes mutaret patriam, fed meliùs: exulabant potiùs, qui infelici regioni erant adscripti. *Laert. lib.6.*

Idem cuidam illi probro objicienti, quòd exularet à patria: Miser, inquit, istius rei causa philosophatus sum. D Sive quòd exilium compulisset Diogenem ad philosophandum: sive quòd ideò didicisset philosophiam, ut exilium, similesque casus, æquo animo perpeti posset. *Laert. lib.6.*

DEMETRIUS Phalereus cum exularet, ac apud Thebanos inglorius humilisque viveret, audissetque Craterem Philosophum, qui ipsum invisseret, multa placidè prudenterque de ferendo exilio disputantem: Malè, inquit, sit negotiis, & occupationibus, per quas hactenùs talem virum cognoscere non licuit. *Laert.lib.5.c.5.*

ALEXANDRIDAS cuidam exilium acerbè ferenti, respondisse dicitur: Ne horrescas exulare civitate: A justitia enim exulare miserum est. Quo responso sensit, eos nequaquam miseros esse, qui præter meritum, vel peculiares quasdam animi dotes, ab imperitis in exilium mittuntur, quibus innocentia semper consolatrix assistit. *Plut. in Lacon.*

THEMISTOCLES quum pulsus primùm Athenis, & mox tota Græcia, venisset ad Persarum Regem, ditissimus ab eo factus est. Porrò, magnifica dona, quibus à rege honoratus erat, intuens, dixit: O pueri! perieramus, nisi periissemus. Perire autem videtur, qui cogitur exulare: at Themistocli feliciter E cesserat exilium. *Plut. in Apoph.*

Teucer rediens ex Trojana expeditione, cùm ob Ajacis fratris mortem Telamoni patri esset invisus, atque ab eo exilio mulctaretur, ad socios conversus, ait: Patria est, ubicumque benè est. *Cicero in Tusc.quæst.*

Ruilius, consolanti eum cuidam, ac dicenti, instare bella civilia, & ob id brevi futurum, ut omnes exules reverterentur: Quid tibi, inquit, mali feci, ut mihi pejorem reditum, quàm exitum optares? Malo, ut patria exilio meo erubescat quàm reditu intereat. *Senec. de benef.lib.6.c.37.*

In Tiberium Cæsarem.

Aspice felicem sibi, non tibi, Romule, Sullam,
Et Marium, si vis, aspice, sed reducem,
Necnon Antonii civilia bella moventis,
Nec semel infectas aspice cæde manus.
Et dic, Roma perit, regnabit sanguine multo,
Ad regnum quisquis venit ab exilio.

Incertus Poeta.

Adspice quem valido subnixum gloria regno,
Altivi & cœli sedibus extulerat.
Terrarum hic bello magnum concusserat orbem
Hic reges Asiæ fregerat, & populos.
Hic grave servitium jam jam tibi Roma ferebat;
Cætera namque viri cuspide conciderant.
Cùm subitò in medio rerum certamine præceps
Corruit è patria pulsus in exilium.
Tale Deæ numen: tali mortalia nutu.
Fallax momento temporis hora dedit.

EXILIUM COACTUM.

☞ *Exilium hic propter adjuncta mala innumera inter Politicæ Servitutis species connumeramus. Quod ipsum si respectu loci, à quo exulare quis cogitur, perpendatur, ad Potestatem conversandi ereptam quoque referetur.*

QUI EJICIUNTUR, PELLUNTUR.

Huc pertinent

Populi deportati.

Cùm Osias, Israelitarum rex, à Salmanasare Assyriorum rege ad Suam Ægyptium defecisset, ab eodem captus, & cum 10. G tribubus Israelitarum in Mediam translatus est: Cuthæi autem coloni in Samariam deducti sunt. 4.*Reg.* 18. *Josephus l.9. Antiq.cap.*15. Spontè sua inde in terram Arsareth, itinere 29. mensium per angustos aditus Euphratis, quem Dominus cohibuerat, donec transissent, profecti sunt, & ibi sedebunt usque ad tempus ultimum: unde cum erunt redituri, iterum sistet Omnipotens fluminis venas. 4.*Esdr.*13.

NABUCODONOSOR, Babyloniorum Rex, Joachim regem Judæorum cum tribus millibus principum captivum Babylonem abduxit. Post 11. annos Sedeciam regem (quem ipsemet Judææ præfecerat) cum omni reliquo populo abduxit. Captivitas ea 79. annis duravit.

Hierosolyma à Chaldæis capta est, anno Sedeciæ regis 11. quarti mensis die nono: direpta & exusta à Nabuzardano mensis quinti die decimo. Nobiles interfecti. Reliqui abducti Babylonem, relicta tantùm fœce plebis pro agro colendo. *Hieremiæ* 39. Interfecto inde ab Ismaele Godolia (quem præfecerat Nabuzardam terræ, & ipsis reliquiis, quæ ibi remanserant) metu exterriti, contra verbum Domini, quod eis per Hiremiam mandaverat, in Ægyptum transierunt, quasi ab H Ægyptiis contra Chaldæorum arma possent defendi. Sed quinto anno captivitatis Hierosolymorum, ut Josephus refert, tertio & vicesimo sui regni, Nabuchodonosor inferiora Syriæ occupavit: Ammonitas item & Moabitas. Inde Ægyptum subvertit, & regem occidit, & Judæos omnes captivos duxit in Babyloniam. *Hieron.lib.3. com.in lam. Hierem.cap.4. Ex 4. Regum 24.& 25.*

Cùm Chii primi servis mercenariis instituissent uti, postea subacti à Mitridate Cappadoce, propriis servis vincti sunt traditi, ut in Colchorum regionem deportarentur: idque illis aliquando eventurum, oraculum prædixerat. Inde proverbium, Chius dominum emit. *Ex Nicolao Peripatetico, Posidonio Stoico, Athenæus lib.6. Diphnosoph.*

Populi expulsi.

Cùm Asinæus & Anilæus Judæi è textoribus Babyloniæ præfecti ab Artabano Parthorum rege essent constituti, & Anilæus cujusdam Parthorum ducis uxore, occiso marito, potitus, res insolenter administraret, à Mithridate Artabani genero bello victus est: vixque fuga elapsus, à Babyloniis somno vinoque gra-

A gravis cum asseclis omnibus cæsus est. Eo tyranno liberati Babylonii, Judæos omnes egerunt in Seleuciam. Ubi post quinquennium conspiratione Syrorum & Græcorum cæsi sunt supra L. virorum millia. Reliqui Ctesiphontem se contulerunt. Ubi pariter exagitati à Græcis, tandem Meerdam, & Nisibim, Babyloniæ urbes, redierunt. *Josph.lib.18.c.ult.Antiq.*

Judæi omnes Roma pulsi sub Tiberio, propter quatuor Judæos improbos. Iterum sub Claudio. Horum unus fuit Aquila cum uxore Priscilla, Corinthi tandem à Paulo Apostolo conversus. *Actor.c.*18.

Anno Sal.1290. ex Anglia universa Judæi sunt ejecti. *Polydorus lib.*17.

LUDOVICUS I. Ungariæ rex, ut Hebræi à duræ cervicis pertinacia deficerent, resipientque tandem, se hos pro Ungaris habiturum, perpetua donarum immunitate pollicebatur. At quum neque suis neque sanctorum Patrum concionibus, ad orthodoxam fidem revocarentur, publico omnes edicto Ungaria exegit, res ac fortunas impunè exportare permisit. B Exacti Austriam & Boemiam inundarunt. *Bonfinius lib.* 10. *Decad.2.*

Picti & Scoti, Albiani populi contra Britannos primùm, deinde Romanos, mutua auxilia singulari fide & fortitudine præstitere. Sub Crathlintho Scotorum rege rixa ob canem venaticum à Pictis interceptum orta, cæsis aliquot ab utraque parte nobilibus, ad bellum apertum res spectabat: sed Carantii Britannorum tyranni opera reconciliati fuere. Romacho inde Scotorum rege, Pictis affinitate juncto, à proceribus Scotis cæso, Picti ea occasione arrepta, regiæ mortis ulciscendæ causa, arma infesta Scotis intulere. Variè pugnatum. Tandem Picti Maximo Britanniæ legato in societatem pertracto, Eugenium Scotorum regem occisione delevere, an. Sal. 397. regni Scotorum 712. Juliano Apostata imperante, Maximus reliquiarum miserius, Scotis superstitibus pacem daturus, Pictorum auro corruptus, omnes proscripsit, Cartandam Eugenii viduam, & Ethodium Eugenii fratrem, saucios item medicorum curæ commissos, vix à Pictorum injuriis defendere potuit. *Boethius lib.6.*

C *Familiæ.*

Corinthi Bacchiadum familia annis ducentis imperitavit: quos Cypselus tyrannus postea exegit. Cujus factionis Demaratus & Tarquinius domo ejecti, regnum Romæ tenuerunt. *Alex.lib.4.c.24.*

Cùm Dominicus Urseolus Venetorum ducatum occupasset, & pulsus esset, Dominicus Flabianus dux electus plebiscitum interposuit, ut Urseola familia civitate ejiceretur, tanquam seditiosa, eique ducatu omnibusque aliis magistratibus interdiceretur. Ingratus populus stolidè hoc decrevit, Urseolorum ducum piorum erga Rempub. præclara merita, vel oblitus, vel parvi pendens. *Petrus Marcellus.*

Salviata gens ob Franciscum Salviatum Pisanæ Ecclesiæ Archiepiscopum, quòd per fraudem occupare palatium voluisset, & contra Mediceos cum Jacobo Paccio equestri viro conspirasset, Florentia ejectus fuit. *Fulg.lib.6.c.3.& Egnatius lib.6. cap.5.*

Sacri homines.

CLEMENS Romanus Pontifex à Trajano Cæsareo exilio mul- D tatus est in insulam, ubi duo millia Christianorum offendit ad marmora damnatorum. *Volat.lib.22. Anthrop.*

EUSEBIUS Vercellensis præsul, ob religionem & doctrinam à Constantino principe missus est in Cappadociam, in exilium. Eustachius Pamphilus præsul Antiochenus, ab eodem Trajanopolim Traciæ relegatus, quòd Arianorum placita refellisset. *Ravis.*

EUGENIUS Episcopus Carthaginensis à Vandalorum rege Arriano cum sacerdotibus plus quingentis multatus exilio, post infinitos cruciatus. *Sigeb.in Chron.*

THRASIMUNDUS Vandalorum rex in Africa, clausis Catholicorum Ecclesiis, ducentos viginti Episcopos in exilium misit & inter eos quoque Fulgentium facundia præclarum. *Idem.*

PONTIUS Diaconus, ut est auctor *Hieronymus*, missus unà cum Cypriano in exilium, egregium volumen de vita & martyrio Cypriani edidit.

MELETIUS è Sebasta Armeniæ civitate Arianus, contra decretum Concilii, factus est præsul Antiochiæ. Tamen inde rursus in exilium pulsus est, quòd præter opinionem ipsorum, orthodoxam fidem defendere cœpisset. *Eusebius.*

Pulsis Scotis ex Albione à Maximo Britanniæ legato, at- *L. B. Theat. vit. Human. Tom. III.*

que Pictis, Sacerdotes, & Monachi Scoti in Hebrides E delati, in Jona insula cœnobium instituere, parvis initiis multis inde regum donariis auctum; posteaquam Albionem reversi sunt Scoti, Cœmiterium regium factum. *H. Boeth. lib.6.*

COLUMBANUS Hybernus, cùm Theodoricum II. Francorum regem paulò liberiùs corripuisset, ab eodem in exilium actus est: sæpèque revocatus, nunquam redire voluit. *Volat.lib.*21. *Anthrop.*

SILVERIUS Campanus, accusante Vigilio diacono, Theodora Justiniani ac Antonina Belisarii uxoribus instigantibus, Pontificatu pulsus, in insula Pontia obiit, quòd Anthimum Episcopum reducere ab exilio nollet. *Volaterranus lib.22. Anthrop.*

MARTINUS Pontifex per Olympium Exarchum, Constantini Junioris filio Constante jubente, comprehensus, in perpetuum exilium missus est, quòd Paulum Patriarcham Constantinopolitanum præsulatu dejecisset, ac Cyri Alexandrini, Sergii, & Pyrrhi condemnationem probavisset. *Sigebert. in Chron.*

Veneti Annales, & Obbo Ravennas, Alexandrum III. F Pontificem variis casibus jactatum, à Romanis demùm petiisse ajunt, ut omnium rerum humanarum administratione civibus permissa, liceret sibi Romæ tutò esse. Id quum tenere nequivisset, cæteraque Italia, ob capitale Friderici I. Imperiodium, crudeleque ejus edictum, foret ubique suspecta: omni spe tuendæ dignitati abjecta, per Apuliam ad Garganum venisse: inde Liburnica navi Jaderam delatum, mox ignoto habitu ex Dalmatia Venetias navigasse. Hic quia parùm Venetorum in se animum exploratum haberet (pacatè enim cum Friderico agebant) ad ædem publicæ Charitatis, humili habitu, tam diù latuisse, quoad palàm sit factum, quis esset. Tum verò agnitum à Sebastiano Ziano Principe, multaque officiorum frequentia in publicum eductum, & in Olivolensi collocatum. Missit Fridericus, qui eum à Venetis suo nomine deposcerent. Hi quoniam ejusmodi postulata neglexissent, terra & mari sunt bello petiti: occupavitque primas belli partes Otho, qui omnium opinione celeriùs, cum quinque & septuaginta triremibus Adriæ insinuatus, cum Ziano Principe in Japitum ora circa Salborium promontorium prælio conflixit: Hic victor Venetus, duabus triremibus in alto depres- G sis, octo & quadraginta captis, & in his regia navi cum Othone, qui Venetias perductus est, magnum sibi & patriæ decus peperit. Inde Otho sub fide ad patrem dimissus, auctor fuit componendæ pacis. *Sabel.lib.5.En.9.*

JOANNES CHRYSOSTOMUS Eudoxiam, Arcadii Imper. uxorem, multosque Sacerdotum infestos habens, Episcopatu pulsus, & in exilium missus fuit. Sed populo tumultuante revocatus secundò in exilium missus est, terræmotu regiam urbem graviter concutiente. *Sigeb. in Chron.*

LAMBERTUS præsul & civis Trajectensis sub Pipino rege, ab impiis civibus in exilium pulsus est: ubi cùm septem annos consumpsisset, regis jussu reductus est, & ab iisdem civibus, quorum errores reprehenderat, occisus. *Volat. lib.* 22. *Anthrop.*

Eo schismate quod fuit inter Alexandrum III. & Victorem IV. Cistercensis Ordo Alexandro magnum præstitit obsequium, docendo, illum legitimum esse Pontificem, & verum Christi Vicarium, Petrique successorem. Iratus proindè Fridericus I. Imp. qui Victorem fovebat, regno ejecit universos ejus Ordinis. Itaque profugere in Galliam. *Grantzius lib.6.* H *Saxoniæ cap.*18.

Cùm Sueciæ rex Gustavus, Daniæ finitimus, religionem mutaret (quod fuit anno circiter 1537.) Joannes Magnus Archiepiscopus Upsalensis (qui Gothorum, & Suenonum historiam scripsit) Romam confugit. Venetias profectus est ejus civitatis Patriarchæ vicarius, &, ut vulgò dicunt, suffraganeus: Inde Romam reversus, à Paulo III. Pontifice collocatus in hospitali domo Sancti Spiritus, ibi tenuis atque pauper vitam finiit. Ejus frater Olao titulum Archiepiscopatus Gothici, licèt extra commercium Ecclesiæ Romanæ positi, PP. contulit, & Tridentino Concilio anno Sal.1546. interesse jussit, ad victum quotidianum aureis mensruis quindecim assignatis. *Sleidanus lib.*17.

☞ *Huc refer multa ex Loco Episcoporum.*

Reges.

HERODES Antipas cum Herodiade uxore Lugdunum

A urbem Galliæ in exilium pulsus fuit: accusatus ab Agrippa, quòd sicut olim cum Sejano contra Tiberium, ita nunc cum Artabano Partho contra Cajum conspirasset. *Josephus lib.* 18. *cap.* 9.

Fuit extorris Theseus Athenis, ac per eum habent Athenas homines: urbemque amisit, quam non acceperat, sed ipse condiderat. *Plut. de exilio.*

Hippias Pisistrati F. tyrannus Athenienſis, in exilium pulsus, Darium Persarum regem contra patriam excivit. *Volat. lib.* 16. *Anthrop. Justinus lib.* 2.

Occiso ad Haliartum Lysandro à Thebais, Pausanias Plistonactis, Spartanorum rex, difficile opus ratus, Lysandri corpus sub ipsius penè mœnibus, invitis hostibus, recipere, etsi veterani ad pugnam, & ultionem hortabantur, pactus tamen cum hoste est, ut cæsorum corporibus receptis, ipse exercitum ex Bœotia reduceret. Ubi domum venit, ab Ephoris est ad populum jactatus, datumque crimini, quòd ad Haliartum serò venerit (quæ mora acceptæ cladis haud dubiè causa extitisset) & quòd contra urbis dignitatem cæsorum corpora fuga non bello recepisset. Augere præsentem insidiam Athenienſium alienatio, quibus ipse in Lysandri odium servitutis jugum ademisset. Ille invidiæ impar, Tegeam in exilium concessit, ubi postea fato periit. Sic *Xenophon.* At Plutarch. in fanum ait Minervæ confugisse, ubi supplex vitam egerit. *Sabel. lib.* 2. *En.* 4. Dum Tegeæ laudaret Lacedæmonios, cuidam dicenti: Quin igitur mansisti Spartæ, sed fugere maluisti? Quoniam, inquit, nec medici apud sanos, sed apud ægrotos versari solent. Falsissimè convitium exilii retorsit in Tegeatem, quòd ejus gentis corrupti mores egerent Spartana disciplina. *Plutarchus in Lacon.*

Philippicus, cùm apud Tiberium III. Imperat. in suspicionem affectati Imperii venisset, in Pontum relegatus est. Andronicus Comnenus, cùm Alexium pupillum, ut imperio potiretur, occidisset, à populo ob crudelitatem in exilium pulsus est. Justinianus Rhinometus, Constantini IV. filius, ultimus ex stirpe Heraclii, conjuratione Leontii patricii Constantinopolitani, & Callinici Patriarchæ, captus atque in exilium in Pontum missus est. *Volaterranus lib.* 23. *Anthrop.*

C Michael Calaphares, cùm Zoen Michaelis Paphlagonis antecessoris & consanguinei uxorem, cum qua se regnaturum promiserat, ejecisset: populus armis domum circumdedit, & ad concionem prodeunte m saxis petiit: fugientem cepit, atque oculis multatum in exilium misit. *Idem.*

Michael Curopalates, cognomento Rancabe, gener Nicephori Imperatoris, cui quoque successit, conjuratione Leonis Armeniaci captus, in exilium missus est. *Volaterranus lib.* 2. *Anthrop.*

Ludovicus IV. Francorum rex, Caroli Simplicis F. Transmarinus dictus est, quòd mare transmiserit in Angliam, sub recentem casum patris in custodiam traditi, patria profugus, æmulo regni Rodulpho Burgundo sublato, domum reversus. *Aelianus lib.* 3.

Cenovalchius Anglosaxonum rex, uxore Sexburga Pende Merciorum regis sorore repudiata, ab ejus fratre in exilium pulsus est. *Polyd. lib.* 4.

Edgarus Ethlig. D. Eduardi regis Anglorum nepos, cùm occupato à Guillielmo Normanno Angliæ regno, videret se omni
D spe adipiscendi deinceps regni destitutum, cum matre Agatha & Margarita atque Christiana sororibus in Hungariam ad avum redire constituit. Sed adversùs ventorum flatibus tandem in Fortheam æstuarium Scotiæ delatus est, in eum sinum, qui & hac nostra memoria D. Margaritæ dicitur. Malcolmus Scotorum rex, haud immemor, quòd ab Eduardo regno restitutus fuisset, humanissimè eos suscepit, & Margaritam in uxorem duxit. *H. Boeth. lib.*

Baivorius II. à Suatopluco patruele regno Boemiæ exutus, cum frustra armis Germanorum reduceretur, in Poloniam exulatum abiit. *Dubravius lib.* 10.

Sub Ludovico IV. Francorum rege Aigroldus Danorum rex patria regnoque à filio pulsus, sexaginta navium classe cum bona parte nobilitatis, quæ vitam extorrem agere, quàm filio parere mallet, in Normanniam ad ducem pervenit. In Constantienſium finibus sedes his datæ. Sed non multò post à suis revocatus est. *Aemil. lib.* 3.

Henricus Leo, Saxonum & Bavarorum Dux, ab ordinibus imperii omnibus honoribus & beneficiis spoliatus, tandem in exilium ejectus est, quòd Fridericum I. Imper. in expeditione E Italica deseruisset. *Cranz. in Saxonia.*

Amurates II. Turcorum tyrannus moriens Calapinum F. semestrem Chalibassæ commendaverat: Ille in Mahometi II. gratiam, qui patri successit, & matrem & puerum ei prodidit. Alii scribunt, Chalibassam alienum puerum Calapini nomine suppositisse, eumque pro filio Amurathis necatum fuisse: Calapinum verò Constantinopolim translatum, ac clam educatum, post captivitatem urbis inde subtractum, ac primùm Venetias, tum Romam Calixti Pontificis jussu ductum, ac pro fratre Mahometi in palatio custoditum. Qui tandem lavacro baptismatis ablutus, Calixtus est dictus Othomannus. Hic postea in Germania venit in magnam familiaritatem cum Friderico III. Imperatore, à quo regiè donatus, ac munificè reditibus annuis provisus, in Austria pluribus annis vixit; cujus se familiaritate usum scribit *Cuspinianus*, vir mansuetus ac religiosus, & qui multarum rerum habuit experientiam. Defunctus est in Austria, cùm jam speciosissimam puellam virginem nobilem de Hohenfeld uxorem duxisset. Quæ vidua facta, antequam uxor esset, monasterio se inclusit, ut virginitatem perpetuò custodiret. *Cuspinianus.* F

Zizimus Mahometo patre mortuo, à Bajazetho fratre regno pulsus, Rhodiis sese primùm per litteras, tum per oratores permisit: ac paulò pòst oneraria nave Rhodum delatus, regio apparatu est exceptus, anno Salutis 1482. Bajazethus ergo cum Rhodiis pacem fecit perpetuam, ea lege, uti Zizimum fratrem custodirent, & alimentorum nomine 450. millia nummum auri quotannis Rhodi persolvenda Kal. Aug. acciperent. Quinetiam ut gratiam Magistri Rhodii assequeretur, dextram Joannis percussoris dono misit. Et cum anno sequenti ingentem pararet classem, in Italiam per Hellespontum mittendam, Magistro Rhodii minitante, fratrem se emissurum exercitum dissolvit, juramento adhibito. Dehinc est Zizimus Romam perductus, anno 1488. & Innocentio IIX. summo Pontifici, qui Sixto successit, datus, arte & solertia Leonelli Concordiensis Antistitis, Legati Apostolici. Nam Bajazethus per legatos, præter cæteta, sacratissimum Christi sepulchrum cum Hierosolymis, & omni terra Sancta Christiano nomini se daturum pro Zizimo pollicebatur, & lanceam Christi pariter. Rex Hungariæ Matthias & hunc impensè petebat, quum Zizimo sibi dedito, indubitatam de Turcis victoriam G pollicereturr. Vicit tamen facundia Antistitis, ut Pontifici traderetur, sub custodia militum Rhodiorum. Jam verò, cùm Carolus Francorum rex Romam cepisset, ea conditione pacem cum Alexandro VI. sanxit, anno 95. Idib. Januariis, ut Zizimum sibi traderet, qui in Vaticano custodiebatur. Quem ut veneno tolleret, ab initio Gallici tumultus per litteras cum Alexandro egerat Bajazethus: magnum auri pondus, si eam sibi operam navasset, pollicitus. Nec solùm Zizimus datus est regi Carolo, sed in fœdere etiam positum, ut Valentinus Dux, Pontificis S. quatuor menses regia castra sequeretur, ut omnia Pontificis loca Gallis amicè paterent. Alexander autem sui potiùs quàm res Caroli per Zizimum illustriores reddi volens, venenum lentum ei propinari curavit, quo tandem absumptus est. *Idem.*

Reginæ.

Helena, Tyndari & Lædæ filia, cum post destructam Trojam, Menelao marito restituta, Spartam venisset, post aliquot dies Menelaus obiit. Eo mortuo, statim Helenam ex- H
pulerunt duo cives Spartani, Nicostratus & Megapenthus, quòd ejus causa tot ruinæ totque clades fuissent subsequtæ: Igitur regno, & marito privata, Rodon exul proficiscitur ad Polyzo reginam. A qua hospitio suscepta, famulis invisa esse cœpit, quòd Tlepolemus Polyzo maritus expirasset apud Trojam, interfectus à Sarpedone Lyciæ rege. Itaque coitione facta, illam in horto ad arborem suspenderunt. *Guido Bituricensis.*

Theogena uxor Agathoclis Syracusani cum liberis in Ægyptum à marito sene & ægroto in exilium missa, ne in manus nepotis, qui vivente ipso regnum invaserat, deveniret. *Sabel. lib.* 8. *En.* 4.

Honorius Roma Ravennam profectus, in suspicionem venit, sororem Placidiam, Constantii Augusti à se dilecti uxorem, Valentiniani nobilissimi pueri matrem, secreta cum inimicis suis adversus se concilia coquere. Quod cùm illa sensisset, sibi ac Valentiniano consulere cupiens, ab illo discessit, & Constantinopolim ad Theodosium properavit, eamque Theo-

A Theodosius pro dignitate suscepit. Honorius paulò pòst hydrope periit. *Sig. lib.* 11. *Imp. Occid.*

Irene Constantini C. Romanorum Imper. mater, cum post excæcatum & in carcerem conjectum filium (cum quo decem annos regnaverat) tres annos sola imperasset, expulsa demum à Nicephoro patritio successore ipsius, in exilio vitæ reliquum egit. *Volater. lib.* 23. *Anthrop. ex Sigeb.*

Martina Heraclii Imp. uxor, cum veneno sustulisset Constantinum juniorem privignum, à Senatu ante biennium imperii capta, & in exilium in Cappadociam missa est, lingua mutilata, naribus autem filio Heraclonæ, cui imperium astruere voluerat, abscissis. *Volat. lib.* 23. *Anthrop.*

Duces.

Conon Dux Athenienſis navali prælio à Lysandro Spartano victus, spontè in exilium fugit ad Artaxerxem Persarum regem in Cyprum. Cujus opibus fretus, paucis post annis reversus, cum exercitu in Lacedæmoniam irrupit, prædas egit, omnia ferro igneque vastavit: Lysander contra eum missus, qui il-
B lum priùs navali pugna vicerat, ab eo tunc terrestri victus est. *Volat. lib.* 14. *c.* 2. *Anthrop.*

Cimon Miltiadis F. qui Barbaris tota Chersonneso pulsis, omnem eam terram cum Crissea, & Thasia ora Athenienſibus subjecit, tot rebus terra marique gestis, Athenas reversus, invidiam felicium rerum alumnam vitare non potuit. Periclis factione premebatur. Cum sorore Elpinice adolescens stuprum fecisse credebatur. Quod tum demum fuit in ore omnium. Habebatur ad hæc Lacedæmoniorum studiosus, quòd illud usurpare esset solitus: At Spartani non tales. Itaque Ostracismo in decennale exilium ejectus est. Jam quum Lacedæmonii Delphos à Phocenſibus liberaturi in Tanagra metati essent, iisque Athenienses dimicatione instructi occurrissent, venit eò Cimon Atticas opes adjuturus. Tum ibi ab hominibus diversæ factionis in suspicionem proditionis adductus, jussisque castris abire, arma, quibus in pugna uti consueverat, suis tribulibus reliquit, eosque, ut fortiter pro patria dimicarent, discedens hortatus est. Ejus sermo tanti fuit, ut quum centum ex una tribu essent, nemo ex acie vivus discesserit. Victi ibi Athenienses, quum sub vernum tempus Lacedæmoniorum
C exercitus in Atticam venturus diceretur, Cimonem ab exilio revocarunt. Fama ejus reditus omnes belli minas discussit. *Sabel. lib.* 3. *En.* 3.

Themistocles ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, testularum suffragiis è civitate Athenienſi ejectus, Archos habitatum concessit. Hic cum propter multas ejus virtutes magna cum dignitate viveret, Lacedæmonii legatos Athenas miserunt, qui eum absentem accusarent, quòd societatem cum rege Persarum ad Græciam opprimendam fecisset. Ergo absens proditionis damnatus, Corcyram demigravit. Ibi cum ejus principes civitatis animadvertisset timere, ne propter se bellum ipsi Lacedæmonii, & Athenienſium inciderent, ad Admetum Molossorum regem, cum quo ei hospitium fuerat, confugit: & ut majore religione se receptum tueretur, filiam ejus parvulam arripuit, & cum ea se in sacrarium, quod summa colebatur ceremonia, conjecit; nec inde priùs egressus est, quàm rex eum data dextra in fidem reciperet. Cùm ab Athenienſibus, & Lacedæmoniis expoſceretur publicè, rex supplicem monuit, ut consuleret: & Pydnam eum deduci jussit, cum præsidio. Hic navem omnibus ignotus ascendit. Quæ cum tempe-
D state maxima Naxum ferretur, ubi tum Athenienſium erat exercitus, domino navis quis esset, aperuit: multa pollicens, si se conservasset. Ille clarissimi viri captus misericordia, diem noctemque procul ab insula in salo navem tenuit in anchoris, neque quemquam ex ea exire passus est. Inde Ephesum pervenit, ibique Themistoclem exposuit: cui ille pro meritis gratiam postea retulit. Mox in Asiam ad regem Xerxem, seu potiùs Artaxerxem, profugit. *Probus, & Plutarchus in Themist.*

Alcibiades bis à populo Athenienſi damnatus exulavit Semel cùm in Sicilia prætor abesset, capitis damnatus, ad Spartanos fugit, & suo discessu effecit, ut gravi clade à Syracusanis affecti fuerint Athenienses. Patriæ interim reconciliatus, rebus maximis designatus, cùm præfectus Athenienſium classis Antiochus à Lysandro victus aliquot naves amisisset, invidia populi præter meritum à magistratu dejectus est, & tres prætores ei substituti, quod Athenienſium res ad Ægos flumen Lysandro pessundandas objecere. Tum serò tandem Athenienses ejecti Alcibiadis pœnitentia ducti, 30. tyrannos à Lysandro impositos ferre coacti. Ipse ad Pharnabazum fugiens in Phrygiam, illic Spartanorum insidiis necatus est. *Plut. in* E *Alcibiad.*

In exilium pulsus est Xenophon Athenienſis, Grylli F. à suis civibus, quòd Cyro fratri, qui cum Athenienſi populo inimicissimus, contra Artaxerxem Persarum regem, quo maximè benevolo utebantur, stipendia fecisset. Cùm enim Sardis Cyrus esset, Lysandrum Aristocratis filium, ad comparandam contra Athenienses classem, pecunia juverat. Pulsum Lacedæmonii susceperunt, & Scilluntem Eleis ereptam exulanti donarunt. *Pausanias lib.* 5.

M. Popilius, cùm à Numantinis, cum quibus pacem factam Senatus irritam censuerat, cum exercitu suius fugatusque esset, ob rem malè gestam in exilium actus est. *Livius lib.* 15.

Nicolaus Canalis Venetus, Turcico bello classi præpositus, Petroque Mocenico majoribus comitiis antelatus, Chalcidem insulam diu obsessam accerrimè tutatus est. Mox, nescio quo fato, quum multa tentare posset, negligentior redditus, eam magno cum detrimento Reipublicæ Venetæ amisit. Domum revocatus, in exilium missus est. *Egna-* F
tius lib. 6. *cap.* 10. In Portu Gruaria, Carnorum oppido, exulavit. Rogatus, qua potissimùm ratione patriæ desiderium levaret? duplici, respondit, indagine, venatoria & literaria. *Sabel. lib.* 9. *Dec.* 3.

Georgius Super, Saxo, Vallesianus, eques auratus, bello maximas opes acquisivit, & tum gratia tum largitionibus apud populares suos tantùm potuit, ut Episcopatum suo arbitrio moderaretur, Jodocum Episcopum, mox & Matthæum Cardinalem ejiceret. Suscepit ex legitima uxore liberos 23. Cæterùm jam senex Gallicæ pecuniæ interversæ crimine susceptus, cum popularium furorem expectare nollet, exilio solum vertit anno Domini 1529. & ad Lacum Lemanum obiit. Posteritas ejus brevi post tempore tota intercidit, ita ut nihil præter nomen, & præclara ædificia (inter quæ & magnificum sepulchrum, principe dignum, in pago Glisa connumeratur) supersit. *Stumpfius lib.* 10. *Helvetiæ.*

Consules, Proconsules.

L. Opimius, quòd in consulatu Fulvium Flaccum consula- G
rem & C. Gracchum tribunitium oppressisset, ob insidiam in judicio circumventus, & in exilium actus est. *Asconius Pedianus super orationem Cic. in Pisonem.*

P. Clodius ob Pompejam C. Jul. Cæsaris uxorem in sacris Bonæ deæ adulteratam, Ciceronis testimonio convictus, sed corrupto judicio absolutus, Ciceroni adeò inimicus ex ea re factus est, ut à patribus ad plebem postea transierit, eo consilio, ut Tribunus plebis factus, hominem ulciscereturr, cujus testimonio fuerat in discrimen adductus. Nec desuit voluntati eventus. Clodius Cic. diem dixit, quòd in conspiratione Catilinæ vindicanda, nobilissimos cives indicta causa necasset. Consulum favore destitutus Cicero, quin & Pompeji qui per Cajum Cæsarem ab eo alienatus fuerat, vestem mutavit, & cum eo universus ordo equester, ut viginti millia hominum mutato habitu eum sequerentur: potuissetque reus adversùs Tribunum media urbe armis disceptare, nisi Catonis consilium secutus, urbem à cæde & discordia servare maluisset. Senatus frequens in curiam coiverat, decreturus, ut tota civitas cum M. Tullio vestem mutaret. Sed curia Clodianis armis obsepta, consulibusque rem impedientibus, H
nihil decerni potuit. Cicero Demosthenis exemplum imitatus, qui ne pro se dicere cogeretur, solum vertit, media nocte urbe egressus, in Lucaniam primò concessit, mox in Siciliam transfetaturus. Clodius audita ejus absentia, ad populum tulit, Cicero exul esset, ejusque bona publicarentur: & ut quadringentis millibus passuum ab Italia igni & aqua interdiceretur: qui cum hospicio accepisset, is exul esset, omniaque ejus bona in publicum redigerentur. Additum rogationi est, ne quis de eo reducendo ad Senatum referret, disputaretve, aut pedibus in sententiam iret: quæ omnia populus scivit. Clodius exulis villas in Arpinati, Tusculano, Pompejano, & Formiano diripuit, direptaque incendit, domum cum palatio demolitus est à fundamentis, atque in ea area templum Libertatis constituit. Bona omnia hastæ subjecit. Nec cum tota illa auctione sector repertus est. Cicero Dyrrachium transgressus, quum hic parum sibi tutus videretur, in Macedoniam transiit, ubi à Plancio est benignè acceptus. *Sabellic. lib.* 5. *En.* 6.

Marius Priscus proconsul Africæ, tempore Domitiani,

A damnatus repetundarum, quòd Africam expilasset, in exilium actus est. *Volat. l.17. Antrop.*

Procuratores.

Capito Asiæ procurator, cùm milites haberet, faceretque multa, quasi præesset ei provinciæ, ob id accusatus à Tiberio, actus est in exilium. *Dion. in Tib.*

Cives.

Diu à Rom. observatum, ne civis Romanus, quovis crimine obnoxius, relegaretur. Primus L. Lamia Rom. civis, à Gabino consule relegatus fertur, & post eum plures. *Alexander lib.3.c.20.*

Servi, Ancillæ, liberti.

Liberti Afranii Dextri consulis relegati ob crimen cædis incertæ. *P. Aerodius, ex Plinio Nipote lib.8. Epist.*

Rhetores.

Æschines ob falsam accusationem Demosthenis, qua eum indignum esse corona aurea ob refectos suis sumptibus muros B Athenienses, voluit ostendere, quam tamen Ctesiphon ipsi scitu populi decreverat, urbe pulsus fuit. *P. Aerodius, ex Demosthene pro corona. Plutarc. Libanio.*

Demosthenem Athenienses in exilium miserunt, quòd pecunia fuisset corruptus ab Harpalo, qui interversis Alexandri Magni thesauris fugerat Athenas. Urbe excedens, fertur subinde respiciens ad arcem Palladis, sublatis manibus dixisse: O Pallas urbium domina, cum tribus infaustissimis bestiis delectaris, noctua, dracone & populo! *Plut.*

Caspius Asclopiodorus Nicæus, cum Soranum, Senecæ Philosophi fratrem, injustè Romæ propter conspirationem in Neronem factam accusatum, contra Egnatii Philosophi falsum testimonium defendisset, ac bonitatem integritatemque hominis multis testimoniis comprobasset, à Nerone in exilium missus, à Galba postea revocatus est. *Xiphilinus.*

Carina Secundus orator exilio à C. Caligula Romanorum Imper. damnatus est, quòd exercendi sui causa contra tyrannos declamasset. *Xiphilinus.*

Poetæ.

Clisthenes Sycioniorum tyrannus, odio Argivorum, qui- C buscùm bella gerebat, Rhapsodos omnes Homericos finibus suis ejecit, quòd Homerus in Catalogo navium, in Peloponesi urbibus describendis, primò Archivorum meminisset, & Sycionios Mycenæis quodammodo subjecisset. *Eustathius Iliad. β.*

Euripides poeta, cùm histrionem suum aliquando cùm uxore sua reperisset, in Macedoniam abiit, Comicorum veritus calumnias, & ab Archelao rege benignè suscepitus est. *Gel.*

P. Ovidius Naso exilium per septem annos apud Thomitanos pertulit, in quo etiam periit.

D. Junius Juvenalis, cùm Paridem Pantomimum, Domitiano charissimum histrionem, in Satyris suis perstrinxisset, jam octogenarius in exilium missus est, ad præfecturam cohortis tendentis in extremam Ægypti partem, ad Pentapolim urbem. *Gyrald. in tom.1. hist. poet.*

Oppianus poeta, ex Anazarbo Ciliciæ civitate, cum Severo principi, Anazarbum venienti, paulò negligentiùs & irreverentiùs obviam ivisset, in exilium in Melitam insulam Adriatici maris cum patre Agesilao actus est, ubi poema de piscibus D scripsit. *Volat. lib.17. Antrop.*

Dantes Florentinus poeta, Florentia pulsus, fugiens ad Canem Grandem Veronensem principem, cum eum contra Florentinos dimicare compulisset, ob linguæ licentiam ejus odium contraxit. Post annos quatuor, cum in patriam redire tentasset, etiam Henricum VI. ad Florentiæ obsidionem ducendo, spe omni amissa, Ravennam profectus est, ibique in otio vixit. *Volat. lib.21. Antrop.*

Philosophi.

Anaxagoras Clazomenius, cùm ab Atheniensibus esset damnatus exilio, cuidam dicenti, Privatus es Atheniensibus: Imò illi, inquit, me. Sentiens, Atheniensibus magis opus esse Anaxagora, quàm contra. *Laert. lib.2. c.3.*

Aristoteles cùm judiciorum metu Athenis profugisset, interroganti quidam, Qualis esset civitas Atheniensium; respondit: Pulcherrima, sed in eam (quod de Alciani hortis scribit Homerus:)

Ὀ̓χνη ἐν᾽ ὄχνῃσι γηράσκει, σύκον δ᾽ ἐπὶ σύκῳ.

pyrus super pyrum, & ficus super ficum consenescit: Sycophantas intelligens. Interroganti, Cur reliquisset Athenas? respondit: Ne committerem, ut Athenienses bis peccarent in Philo- E sophiam. Obscurè Socratis mortem innuens, & suum periculum. *Aelian. de var. hist. lib.3.*

Theodorus ἄθεος, Athenis profugus, venerat ad Lysimacum Thraciæ regem. Ibi cùm quidam ex optimatibus ei fugam exprobrasset, quòd impietate sua juventutem corrumperet, respondit: Non profugi, sed idem mihi accidit, quod Herculi. Nam ut ille ab Argonautis fuit expositus, quòd solus esset justum onus navis, & cæteri vectores vererentur, ne prægravata subsideret: sic ego quoque migravi propter magnanimitatem; quam cum Atheniensium rectores non valerent assequi, invidere maluerunt. Philo Judæus libro, Quod omnis probus liber. Lysimachus offensus libertate ejus, dixit illi: Quoniam istis eras moribus, patria te ejecit. Sanè, inquit, quòd me ut Semele Bacchum ferre non posset. *Plut. in Apoph.*

Rhetores, & Philosophi ex tota Italia proscripti, sub Domitiano, ex S.C. Qua tempestate etiam Epictetus Stoicus Roma decessit. *Gel. lib.15. c.11.*

P. Egnatius Celer Philosophus, propter assentationem multis pecuniis atque honoribus auctus, in exilium tandem à Nerone actus est. *Xiphilinus.* F

Boethius insignis Philosophus, imperante Zenone, cum auctoritatem Romani senatus contra Theodoricum regem Italiæ tueri niteretur, ab ipso in exilium missus est cum Symmacho Consule, ibique librum de Consolatione Philosophiæ edidit. *Sigebertus in Chron.*

Mathematici.

Metius Pompusianus, quì Vespasiano olim imperium prædixerat, à Domitiano in Cyrnum relegatus est, eò quòd universi orbis descriptionem, atque picturam domi in tabula haberet: atque conciones regum, & cæterorum principum, quæ sunt apud Livium scriptæ, studiosè evolveret. *Xiphilinus in Domitiano.*

Medici.

Oribasius Pergamenus, vel Sardianus, cum Juliani Principis medicus esset, succedentium principum invidia bonis privatus, in exilium ad Barbaros missus est: ubi tanta gratia & opinione hominum ob doctrinam, & medicinæ experimenta vixit, ut pro Deo penè coleretur: & sic placatis demum principibus, rediit, bonaque amissa recuperavit. *Eunapius in vitis* G *Sophistarum.*

Legislatores.

Clisthenes Atheniensibus exilii legem primus tulit: qui haud multò post sua lege damnatus pœnas luit. *Alex. ab Alex. lib.3.c.20. ex Aeliano.*

Iureconsult.

Petrus de Vineis ex urbe Capua juris peritissimus, Friderico II. Imp. charissimus, ob conjurationis suspicionem in exilium missus est. *Dantes Can.13. primæ partis, & Volat. l.23. Antrop.*

Historici.

Philistum Syracusanum (qui res Siculas libris duodecim complexus est) Dionysius senior in exilium egit; ubi tamen bonam historiæ partem absolvit.

Paulus Diaconus Aquilejensis à Carolo Magno relegatus est ad Diomedis insulam, quòd Desiderio Longobardorum regi faveret.

A QUIBUS. AB

Subditis. H

☞ *Vide Reges, exules.*

Fuit extorris Theseus Athenis, propter quem habent nunc Athenas homines; urbemque amisit, quam non acceperat, sed ipse condiderat. *Plut. de exilio.*

Athalaricus rex Gothorum Tervingorum, qui in Thraciam cum reliquis Gothis non transierat, quòd se religione impediri, ne Romanum solum attingeret, asseruerat, patria à suis expulsus, anno 317. Constantinopolim venit, atque à Theodosio Imp. comiter ac benignè exceptus est. Is cùm urbem inviseret, atque intentis oculis universa lustraret, in magnam Romanæ potentiæ admirationem adductus, dixit: Deus profectò terrenus est ipse Romanus Imperator: quisquis adversùs eum manum sustulerit, ipse sui sanguinis reus erit. Neque ita multò post vita cessit, Funus ejus pompa splendidissima Theodosius celebravit, atque ipse ei quoque honoris causa prævit. *Ex Amm. Sig. lib.8. Imp. Occ.*

Colle-

A *Collegis.*

Post Sethonem Ægyptiorum regem duodecim reges creati, sanctissimo fœdere ab initio inter se pacti, ne sibi alius alii insidiarentur, sed fida conspiratione Ægyptum administrarent: interim oraculo cognitum est, quod est, quòd is, qui ferrea phiala in Vulcani esset templo libaturus, solus Ægypti regnum obtineret. Nec longo tempore interjecto, quum fortè in Vulcani æde solemni sacro reges omnes starent de more libaturi, Antistes templi numero aberrans, singulis, præterquàm Psammeticho, qui ultimo loco steterat, phialam obtulit: qua ille necessitate adactus, detracta sibi galea, libavit. Ea re animadversa, consestim oraculi memoria circumstantium animos subiit, ratique id consilio factum, dignum Psammethicum judicarunt, qui morte mulctaretur. Cæterùm cum id casu contigisse cognitum esset, præcipua regni parte exutum, in palustrem Ægypti partem eum relegaverunt cæteri reges, ea lege, ut reliqua Ægypto abstineret. At non multò post Jonum Carumque prædonum ope fretus, facilè reges, à quibus fuerat relegatus, è medio sustulit, totiusque gentis unus est ditionem adeptus. *Sa-* B *bel. lib.4. En. ex Herod. lib.2.*

Pericles cum Cimone simultates gerebat Reipub. causa, cùm hic optimatibus, ille populo faveret. Tandem ostracismo Cimonem urbe ejecit: quem tamen scripto plebiscito revocavit. Mortuo Cimone, de decennali exilio cum Thucydide Cimonis affine, contracto certamine depugnans, illum exterminavit, factionemque dissolvit adversam. *Plut. in Pericle.*

Amicis.

Dion Syracusanus, cùm apud Dionysium tyrannum maximo in pretio haberetur, tandem incidens in suspicionem, ab eo in exilium pulsus est. *Plut. in vita Dionys.*

Inimicis.

C. Marius Coriolanus ob odium populi, Tribunorum studio tribubus in suffragia missis, pœna damnatus est perpetui exilii. *Plut. in Coriolano.*

Cæso Quinti Cincinnati ter Consulis filius, quo nemo lingua manuve promptior in tota civitate habebatur, omnes ple- C bis impetus tribunitiasque procellas ob legem ortas Agrariam unus sustinebat. Huic Aul. Virginius trib. pleb. capitis diem dixit. Apparebat, plebem cupidè Cæsonem damnaturam; quum judicii die apropinquante, Quintius pater, & cum eo propinqui multi & necessarii, principes civitatis passim singulos prehensabant, orabantque, ne tantam ex civitate indolem extorrem ejicerent. Quintius pater, ter consul, filii dumtaxat culpam deprecari, parcè filium laudabat, ne invidiam cumularet: quin illud orare, ut si quid in quempiam Cæso juveniliter deliquisset eam sibi offensam condonarent, ne se jam senio confectum suavissimi filii præsidio spoliarent. Post longam disceptationem patrum interventu decem vates tribuno dati, qui pro eo, nisi ad diem judicii reum sisterent, certam solverent æris summam, interim Cæso liber esset. Ipse vadibus datis, sequenti nocte jussu consulum in Tuscos exularum abiit. Judicii die, etsi reus non adesset, tribus in suffragium à Virgineo nihilo sciùs missæ, cupidè absentem damnarunt. Livius appellatis tribunis, nullum de ea re suffragium latum scribit. Pecunia à patre acerbè exacta, ut omnibus bonis divenditis, aliquandiu Quintius trans Tiberim tenui contentus prædio vixerit. *Sabel. l.3. En.3.*

D Decius Magius, quam Annibali Capuam intranti solus assurgere nollet, ab eodem relegatus est. Quum autem in exilium traheretur, aperto capite vociferans: Habetis, inquit, libertatem, Campani, quam petiistis: Semper enim patriæ deditionem dissuaserat. *Livius lib.23.*

P. Rutilius, vir summæ innocentiæ, legatus C. Marii proconsulis, à publicanorum injuriis Asiam defendens, invisus equestri ordini, penes quem judicia erant, repetundarum damnatus, in exilium missus est; ut apud *Livium lib.70.* Actus in exilium à partibus Syllanis, & à Sylla deinde redeundi potestate facta, respondit, illud quod à Seneca *lib.6. de beneficiis* ponitur: Malo, ut patria meo exilio erubescat, quàm reditu mœreat. *Volat. lib.10. Anthrop.*

Parentibus.

Trebetas, Nini Assyriorium regis F. regno à noverca Semiramide pulsus, post longos errores in valle pulcherima Galliæ, per Mosellam fluvium ascendens, consedit, ibique florentissimam urbem, totius Galliæ caput, fundavit, Treverim de suo nomine dictam. Extant ibi antiquæ nobilitatis monumenta. E quibus circa annum Domini M.CC. repertum est in E marmore tale elogium:

Nini Semiramis, quæ tanto conjuge felix
Plurima possedit, sed plura prioribus addit,
Non contenta suis, nec totis finibus orbis,
Expulit a patrio privignum Trebeta regno,
Insignem profugus nostram qui condidit urbem.
Ante Romam Treveris stetit annis mille trecentis.

Nauclerus 20. Generatione.

QUOMODO.

☞ *Vide Titulum Suppliciorum.*

Ostracophoria, apud Athenienses exilii genus, quando testulis suffragia ferebantur. Primus Hipparchus Cholargeus, ultimus Hyperbolus ostracismo pulsus est. *Cœlius lib.6. c.21. A.L.* Et sane κεφαλικὴ μάστιξ, id est, Testaceum flagellum, dicebatur ostracismus, quòd hoc exigerentur in exilium. *Erasm. in Adag.* F

CUR. OB

Virtutem in genere.

Ephesii Hermodorum philosophum in exilium ejecerunt, quasi dicentes, Nullus nostrum frugi esto. *Strabo lib.14.*

Prudentiam.

Perielis, præcepto Danon, quòd haberetur singularis prudentiæ, multatus est decennali exilio. *Plut. in Arist.*

Constantiam.

D. Cæcilius Numidicus, quia eum, qui se T. Gracchi filium mentiebatur, in censum non receperat, idemque in legem Apulejam per vim latam noluerat jurare, in exilium actus, Smyrnæ substitit. Claudia exinde rogatione revocatus, quoniam in ludis fortè de reditu litteras in theatro recepisset, non priùs legere dignatus est, quàm spectaculum finiretur. *Volater. lib.17. Antrop.*

Libertatem loquendi.

Anneus Cornutus, doctrina & eruditione clarissimus (cujus G opera Nero in scribendis carminibus potissimùm utebatur) quòd nonnullis existimantibus, quadringentos libros à Nerone scribi oportere, nimiùm multos esse dixisset, in exilium actus fuit. *Xiphilinus in Nerone.*

Religionem.

Joannes Apostolus à Domitiano Imperatore in Pathmum relegatus est, ubi (*Dorotheus* tradidit, Tyri Episcopus) Euangelium suum scripsit.

Valerianus Episcopus octogenarius, nolens divina sacramenta profanis tradere, à rege Vandalorum Genserico omni urbe & domo exclusus, reliquum vitæ usque ad mortem nudus sub dio elegit. *Sigeb. in Chron.*

Justitiam.

Aristides Lysimachi F. ob justitiam justus dictus fuit. Cæterùm ei evenit, ut qui ob cognomen hoc primò diligeretur, post raperetur in invidiam: potissimùm quòd sermonem Themistocles in vulgus sereret, Aristidem sublatis judiciis, quòd omnia judicaret, & disceptaret, dominatum in cives voluntarium clam sibi parasse. Et populum jam, cui fecerat victoria contra Persas Salaminas animos, offendebant illi, qui nomine H & gloria eminerent. Concione igitur ex tota Attica in urbem advocata, exilium decennale, exostracismon vocant, irrogarunt Aristidi, invidiæ gloriæ ejus metum prætexentes tyrannidis, *Plutarchus in Aristid.* Inter suffragandum, adiit eum homo quidam ἀγράμματος & ἄγροικος, qui testulam teneret, jubebatque, Aristidis nomen inscribi. Rogavit is, ecquid Aristidem nosset: negavit ille, addiditque, nil sibi aliud in eo viro quàm Justi cognomen esse molestum. Tacitus Aristides scripsit quod rogabatur, & hominem dimisit. Hic est Aristides, cui tantum tribuit Plato, ut præ cæteris, qui clarissimi Athenis floruere, solum eum existimatione ac laude, præterque admiratione dignum censuerit. *Cœlius lib.23. cap.19. Ant. Lect.* Tertio anno post, quum Xerxes ductaret exercitum per Bœotiam, & Thessaliam, revocatus est cum aliis. *Plut.* Ab amico quodam rogatus, Quam ob causam exilium ei molestum fuisset? respondit, Causa patriæ, ob eam injustitiam ubique malè ab omnibus audientis. *Stobæus, ex Serino serm.37.*

Pietatem in patrem.

Cùm Lemniæ mulieres viros omnes una nocte sustulissent, Hypsipyle regina Thoantem patrem procul ablegatum sola servavit. Ob eam pietatem à reliquis in exilium ejecta, apud

A Lycurgum Nemeorum regem nutricis officio functa est, *Sabellicus lib.7. En.1.*

Cædem.

ABSALOMUS Davidis F. interfecto fratre Amnone propter stuprum sorori Thamari illatum, profugit Gessurem ad Ptolemæum regem avum maternum, & apud eum triennio mansit integro. *2.Reg.13.*

In Ulyssem, post procorum necem, necessarii interfectorum coierunt. Accitus ab utrisque partibus Neoptolemus arbiter decrevit, ut homicidii causa Ulysses excederet, solumque verteret ex Cephalenia, Zacyntho & Itacha: procorum amici & necessarii quoque anno Ulyssi ob illatam domui ejus injuriam mulctam penderent. Ille in Italiam exulatum concessit. Mulctam filio sacratam ut solverent Ithacesii, præcepit. Hæc erat farina, vinum, favi, sal, victimæque honoratiores Phagilorum. Phagilum agnum esse, Aristoteles refert. *Plutarchus in Græcis dictionibus.*

B TALUS puer ab avunculo Dædalo erudiebatur. Hic cum acumine ingenii polleret, Dædalus invidia motus, existimans se multò fore superiorem, dolo interfecit. Accusatus homicidii, damnatur ab Areopagitis Athenis exilio. In Cretam igitur proficiscitur, ubi in Minois regis amicitiam propter artem venit. *Diod.lib.4.c.13.*

Ex Opuntia Locrorum terra natum esse Patroclum, testatur Homerus Iliad. ↊. qui cum cædem patrasset invitus, fuga se subtraxit ad Peleum, Menœcius verò ejus pater mansit in patria. At enim Achilles Mœnecio pollicitus erat, cum ex ea expeditione revertisset, se illum in patriam reducturum. Sed ad Trojam petiit. *Strabo lib.9.*

TELEMON & Pelæus Æaci filii ob interfectum ex invidia fratrum Phocum, quem illis pater prætulerat ob virtutem, exilio à patre puniti sunt. *Ant. Liberalis ex Nicandri primo Alteratorum, & Pausanias in Corinthiacis.*

T. ANNIUS Milo ob cædem P. Clodii pulsus est Marsiliam in exilium. *Dionysius Halicar.*

Nobilis quidam Anglus cognomine Hantoum, cùm in aula Londini, Roberti Brusii, Scotorum regis, fortunam virtutemque inter loquendum extulisset: à Joanne quodam Spensecuro, obscuræ originis viro, qui tum erat Eduardo II. regi à cubilo, pugione impetitus, exiguum vulnus excepit. Cujus injuriæ impatiens, Joannem postridie eodem loco obtruncavit, & in Scotiam fugit. Ei Robertus rex prædia & agros Cadzovv nomine donavit. Perseverat ejus posteritas inter Scotos, in amplissimam propugnata familiam, & regio etiam honestata sanguine, Hammiltuum nomine paulùm mutato nuncupata. *H.Boetius lib.* 14.

Latrocinium.

ACTISANES Æthiopum rex, subacta Ægypto, summa æquitate Ægyptiis imperavit. Latrocinia novo more compescuit, sontes neque more plectens, neque linquens impunitos. Eorum judicio constituto, res omnes in unum cogens, miti sententia damnavit: amputatis enim naribus, in ultima deserti ire compulit, ibique urbem condidit, ab excisis nasis Rhinoceram appellatam. Ea in Ægypti Arabiæque finibus haud procul à mari sita, omnibus vitæ commodis caret. Nam omnis vicina regio salsa est, intra urbis mœnia unicus est puteus, & is inutilis, utpotè aqua amara gustu. Hos autem in eo loco posuit, ne D suis moribus vicinas gentes inficerent, neve eorum erga reliquos injuriæ essent occultæ: sed ut tanquam in oram desertam relegati, omni re egentes, cogente necessitate sibi victum exquirerent. Fissis itaque calamis, quos ex vicinis agris collegerant, longa sibi retia fecere, quibus juxta littus per plura stadia dispositis, ex captis coturnicibus (nam magnus earum numerus in littore ad capiendos pisces versatur) victum sibi compararunt. *Diod.lib.1.c.4.*

Impudicitiam.

VISTILIA Labeonis conjux, ob stupri licentiam, qua infamabatur, in insulam Seriphon relegata est. *Tacit.l.2.*

JULIAM filiam Augustus Cæsar propter impudicitiam Pandateria insula clausit. Mox venia impetrata, cùm in eandem recidisset infamiam, Rheginis, qui ad Siculum fretum accolunt, custodiendam tradidit. In eandem demùm insulam Agripinam suam libidinis nota proditam, Nero quoque clausit. *Tacit.l.14.*

Impietatem erga patrem.

TULLIA Servii Tulli regis Rom. filii acta est in exilium, quòd super faciem parentis mortui currum duxisset. *Livius.*

Accusationem falsam. E

BASSUS presbyter, cùm accussasset Sixtum III. Romanum Pontificem, & ille calumniam in Concilio Episcoporum discussisset, à Valentiniano in exilium pulsus est. *Volaterranus lib.22. Anthrop.*

Annonæ caritatem.

AUGUSTUS Cæsar magna quondam sterilitate, & difficili remedio, venalitias & lanistarum familias peregrinosque omnes, exceptis medicis & præceptoribus, parteque servitiorum, Roma expulit. *Suetonius.*

Balnei usum.

CINNA Tuscus à Nerone exilio multatus fuit, quòd cùm esset præfectus Ægypti, lotus esset in balneo, quod Neroni in Alexandria paratum fuerat. *Xiphilinus.*

Dignitatem.

HERMOLAUS Barbarus, Venetorum apud Innocentium Pp. legatus, cum contra leges patrias vel invitus à Pontifice Patriarcha creatus esset Aquilejensis, exilio à Venetis multatus est. *Bembus lib.1.Ven. hist.*

QUO PULSI. UBI EXULENT. F

☞ *Vide Tit. Suppliciorum. Ut puta.*

In Insulas deportati.

Ambo Macarii, Ægyptius & Alexandrinus, sub Valente Imp. in insulam Paludium relegati, Paludianos insulanos converterunt. *Ruffinus lib.2.cap.4. Socrates lib.4.c.24. Theodoretus lib.4.c.21. Sozomenus lib.6.c.20.*

JACOBUS FOSCARUS, Francisci Venetorum principis F. à decem viris accersitus, quia ad diem non affuisset, absens damnatus est. Verùm non multò post ex Tergeste, quò se contulerat, publico decreto est Tarvisium revocatus, ea conditione, ut non solùm urbe egredi liceret, sed Mestrana quoque prædia prætoris permisso invisere; nox verò in patriam restituus est. Non multò post in crimen cædis devocatus, quasi eo auctore Hermolaus Donatus, dum noctu ex curia se domum reciperet, interfectus esset, post accebissimam quæstionem de ea re habitam, quum nulla majora ejus cædis indicia extarent, Cretam insulam est relegatus. Hinc quòque postea, quia res novas per litteras molitus crederetur, triremi ad hoc ipsum in insulam G missa Venetias delegatus, quum quæstioni adhibitus rogaretur, an auctor fuisset earum litterarum, quæ ad hostes scriptæ dicerentur: ita sanè affirmavit: cæterùm dedisse se operam, ut ad Venetorum magistratuum manus pervenirent: ratus fore, ut ob eam causam in patriam revocaretur, si non qua vellet, qua saltem posset, conditione. Demùm quum nihil alioquin noxæ in eo compertum esset, in insulam novissimè ablegatus, vitam in ea cum morte commutavit. *Sabel.lib.6. Dec.3.*

In Urbes relegati, conclusi.

ABJATHAR Pontificem Salomon rex Judæorum in prædium suburbanum relegavit, & sacerdotio privavit, propterea quòd Adoniæ fratris sui regnum affectantis partes fovisset. *3.Reg.2.*

Semei Geræ F. Jeminiensem Salomon Hierosolymis habitare, neque torrentem Cedronem transire imperavit, propter ea maledicta, quæ jam olim contra patrem suum Davidem, regno pulsum ab Absalon, effuderat. At cum Semei, exacto triennio, duos servos fugitivos Getham usque persecutus reduxisset, à Banaja propter violatum jusjurandum & inobedientiam jussu regis interfectus fuit. *3.Reg.2.* H

Βικολώνες, id est, Bubulcus eris. Hoc velut ænigmate Athenienses significabant exilium. Siquidem qui per ostracismum ejiciebantur, in Argivam exulatum ibant, ubi bos erat æneus insigni magnitudine. *Plut. in Collect. Hesychius ex Phasmate Menandri.*

ARCHELAUS Judææ Tetrarcha, ob tyrannidem in exilium Viennam Galliæ actus. *Joseph.lib.17.cap.ult. Ant.*

JUVENALIS Satyricus, sub Domitiano Romanorum Imperatore fuit: qui cum saltatore Prasine patris Paride gauderet; eaque de re à Senatu & à Juvenale malè auditet, Juvenalem Pentapolim in Africa relegavit, saltatorem verò locupletatum Antiochiam misit, qui ibi domo & balneo ædificato, mortuus est. *Suidas.*

EXILIUM SPONTANEUM.

JACOB Patriarcha, Esau fratris iram propter interceptam patris fausstam precationem fugiens, in Haram Mesopotamiæ ad Laban avunculum se contulit, cui 14. annis pro duabus filiabus servi-

A servivit. *Genes.* 28. & 29. Cùm 20. annis apud Laban servivisset, liberis & pecudibus auctus, videns se Laban invisum esse eo ad tonsuram ovium profecto, cum omnibus suis copiis clam aufugit in Chananæam. *Genes.31.*

MOYSES cùm Ægyptium interfecisset, qui injuriam inferebat Hebræo, facinore detecto, spontè ad Madianitas exulatum abiit; ubi susceptum primogenitum suum ex Sephora appellavit Gerson, quia peregrinus esset in terra extranea. *Exod.2.*

ADER Idumæus, regio genere, cum Joab Davidis dux Idumæam subegisset, atque omnes adultos occidisset, ad Pharaonem Ægypti regem fuga est elapsus. Qui & domum dedit, & agrum, unde vivere, & uxoris suæ sororem el despondit: ex qua natus ei filius, cum regiis liberis est educatus. Audita porrò in Ægypto Davidis & Joab morte, Pharaonem oravit, ut in patriam sibi redire liceret. Verùm tum quidem dimissus non est: sed post, eo tempore, quo Salomonis res ob admissa peccata afflictæ erant, in Idumæam venit, regnoque Syriæ potitus, Israeliticam terram incursionibus vexavit, & Salomo- B nem infestavit. *Suidas.*

JOSEPH Herodis fugiens tyrannidem, fuit cum Maria Virgine & puero Jesu benedicto annos septem in Ægypto: quo temporis spatio deorum simulacra, quos tum gens stulta, & omnium errorum mater coluit, sua spontè concidisse dicuntur, obmutueruntque malorum dæmonum oracula. Quod futurum multò antea prædixerat propheta: Ecce, inquit, levem nubem conscendet, & Ægypti simulacra movebuntur in conspectu ejus, tabescetque cor Ægypti in medio ipsius. *Sabel.lib.1.En.7.*

CADMUM Agenoris Sidoniorum regis F. tradunt ex Phænicia ad pervestigandam Europam à rege ea lege missum, ut aut virginem secum reduceret, aut in Phœniciam non rediret. Cùm diutius quæsitam à se virginem non inveniret, postposita patria, in Bœotiam pervenisse. Ubi cum responso oraculi Thebas condidisset, Hermionem postmodum Veneris filiam in uxorem sumpsisse: ex ea Semelem, Ino, Autonoem, Agavem ac Polydorum genuerit. *Diodorus lib.4. cap.2.*

PELEUS & Telamon cum fratrem Phocum matris consilio C interfecissent, exulatum abiere, patrem Æacum veriti. Anton. *Liberalis ex Micandri prim. Alteratorum.*

LYRCUS filius Inachi, ad quærendam sororem Jo missus, cùm illam invenire non posset, patris iram metuens, domum reverti noluit. *Parbenius c. Eroticon.*

PHRYXUS & Helle novercali odio ambo in discrimen adducti, non ariete aureum vellus habente (ut Hesiodus & Pherecydes, Laginum secuti, prodidere) sed navi, in qua fuit id animal tutelæ loco figuratum, è Bœotia in Hellespontum primò sunt delati. Hic Helle casu quodam amissa, Phryxus in Colchidem ad Æetam regem profectus est. A quo agnitus, Chalciopes filiæ nuptias impetravit. Palæphatus scripsit, Arietem Phryxi nutritium fuisse, cujus opera sit ille novercalibus insidiis cum sorore subtractus. *Sabel.lib.5.cap.1.*

HOMERUS Mercurii, ex uxore cujusdam sacerdotis Ægyptii F. quòd Spurius esse putaretur, ignominiæ vitandæ causa spontè sua in exilium abiit, & per Græciam oberrans, omnes in sui admirationem perturaxit. *Heliodorus.*

Cum Psammeticlius Ægyptiorum rex exercitum in Syriam duceret, mercenarios milites, quorum opera regnum consecu- D tus erat, statuit in dextra, Ægyptios à sinistra phalangis parte. Qua contumelia irritati Ægyptii, ad 200. millia Æthiopiam versus in exilium spontè abierunt. *Diodorus l.1.c.5.*

Cùm Xerxes Articam invasisset, Athenienses edictum proposuere, ut qua quisque ratione posset, servaret suos. Alii igitur Trœcenem, alii in Æginam, alii in Salaminam sua pignora exportarunt: Athenis enim maximè insensus erat Xerxes. Accessit prodigium. Ingens enim draco arcis custos, cui mensirua libamina ex melle confecta proponere solebant, cùm superiora semper depastus esset, ea tunc illibata reliquit: quasi etiam deus ipse sedes suas relinquere videretur. *Herodotus lib.8.*

TIMESIAS Clazomenius, de Clazomeniis optimè meritus, cùm quodam tempore præter scholam transiret, pueri dimissi à præceptore ludis operam dabant. Cùmque duobus de linea incidisset controvertia, alter jurabat: Sic ego Timesiæ cerebrum discusserim. Hoc audito, ille putans se in communi omnium hominum invidia esse positum, siquidem & pueri eum odissent, ne tum senes, spontè atque ultrò è patria concessit. *Aelian. lib.12. de var. hist.*

Spartanorum 24. optimates voluntario exilio bellum E ab Achæis patriæ inferendum avertere. *Pausanias in Achaicis.*

LYCURGUM Lacedæmonium, filium Eunomi, Euphorus dicit, in exilio fame periisse. *Aelianus lib.13. de varia histor.* Alii voluntario in exilio eum abstinentia cibi obiisse scribunt, & cineres in mare projici jussisse, ne quando Spartam relati cineres sacramento liberarent eos, qui ad ejus usque reditum leges suas inviolatas conservaturos, sacrosanctè polliciti fuerant. *Justinus lib.3. Plutarc. in ejus vita.*

PROTAGORAS Abderites, Menandri F. & auditor Democriti, accusatus ab Atheniensibus, quòd Persarum magiam & religionem dedisset, spontè exulavit. *Ravisius.*

Phylostratus in Sophist. Æschinem Atheniensem oratorem non coactum vertisse solum exilii gratia scribit; sed quum judicio de Ctesiphonte victus esset, ad Alexandrum contendisse, qui tunc Asiæ imperabat: ubi verò de ejus morte in itinere intellexit, flexisse cursum Rhodum, captumque insulæ F amœnitate studiis apta, resedisse in eo loco. *Lud. Vives in lib.1. August. de Civ. Dei.*

DEMARATUS Corinthius Cypseli tyrannidem fugiens, in Hetruriam navi delatus, Tarquiniis consedit. Ejus filius Lucumo, quòd propter peregrinitatem in parvo apud Tarquinios honore esset, Romam cum Tanaquile uxore migravit, & Anco Martio regi insinuatus, tandem ad regnum pervenit. *Sabel.lib.4. En.2.*

M. LIVIUS Salinator cùm de Illyriis triumphasset, ex invidia peculatus reus, ab omnibus tribubus, excepta Metia, condemnatus, in exilium abiit voluntarium, ubi longo tempore sordidatus, promissaque barba moratus est. Urgente verò Italiam Hannibale, revocatus, consul factus est. *Volat.lib.16. Urban. com. ex Cœlio, & Livio lib.29.*

M. FUR. CAMILLUS dictator à L. Apulejo tribuno plebis, ob Vejentanam prædam (dicebatur enim æreas portas domi habere, quas inde compilasset) in judicium arreptus, quum nihil præsidii contra vim tribunitiam sibi in civibus esse cerneret, ultro in exilium abiit, deos precatus, ut si innoxio sibi ea injuria fieret, non multò post, sui deside- G rium ingratæ civitati faceret: Absens quindecim millibus gravis æris est damnatus, nec ita multò post; quasi ejus preces cœlo auditæ essent, à Gallis Roma capta est. *Sabel. lib.9. En.3.*

In Sabinorum urbe Regillo Appius Claudius erat, vir pecuniosus, virtutis laude & eloquentia præcellens. Æmuli ideò calumniabantur pacis eum esse auctorem, ut auctus populi Romani opibus, tyrannidem sibi & dominatum quereret in patria. Quos rumores sentiens secundis auribus populi accipi, timuit judicio se committere: verùm quia factione amicorum & necessariorum manu erat septus, concivit seditionem. At P. Val. Poplicola Coss. Rom. denuntiavit per homines idoneos Appio, quòd si vellet saluti suæ consulere, & relictis inimicis suis transfugere Romam, recepturum se eum, ut ipsius virtus & dignitas populi Romani mereretur. Appius consilio habito amicorum, plerisque in sententiam suam pertractis, quinque millia familiarium cum liberis & conjugibus Romam transtulit. Poplicola familiis civitatem dedit, singulisque agrum binum jugerum trans Anienem fluvium; Appio viginti quinque ju- H gera, eumque inter patres legit, qui hunc gradum ad Rempublicam primum fecit: in quo cùm specimen præbuisset prudentiæ, in principum dignationem pervenit, pollentesque habuit opes, & clarum post se gentem Romæ reliquit Claudiorum. *Plutarchus in Poplicola, & Livius Decade 1. lib.2.*

P. SCIPIO Africanus Linterni in villa sua sibi elegit exilium qui civitatem non modò tot victoriis exornaverat, auxeratque imperio; verùm etiam à calamitosissimo & diuturno bello Punico liberaverat: in ingrata patria ne cineres quidem suos manere passus.

L. APULEJUS Saturninus Tribunus plebis cùm propter Agrariam legem (quam per vim tulerat) aliasque item factiones videret se odiosum plerisque principibus, Rhodum profectus est, in voluntarium exilium. *Livius lib.69.*

CÙM SATURNINUS Romæ factus Tribunus legem Agrariam tulisset, in qua hoc adjectum erat, ut cum Senatus intraret in concionem, se id, quod populus jussisset, comprobaturum, neque ulla in re impugnaturum. hoc ipsum jurare nolens Cæcilius Metellus Consul, spontè in exilium abiit Rhodum, ibique Philosophiæ vacavit. *Plut. in Mario.*